LORENZO GAMBARA

# DE NAVIGATIONE CHRISTOPHORI COLUMBI. (3142 vers)

Le texte proposé ici a été établi à partir de l’édition publiée à Rome par Bartholomeo Bonfadino et Tito Diani, en 1585.

## LORENZO GAMBARA DE NAVIGATIONE CHRISTOPHORI COLUMBI.

### DE NAVIGATIONE CHRISTOPH. COLUMBI LIBER PRIMUS.

N_1 <O> Perenotte, virum referam, qui litora primus (cf. note dans la version
ingentis tetigit Cubae, novaque astra retexit, ‘.doc’ du texte scandé)
et freta tot quondam nostris incognita nautis,
nuper et inventas Cancri sub sidere terras.
Antoni Perenotte, sacri pars magna senatus,
accipe quae quondam jussisti carmina, ab Afris
cum domitis Caesar dulcem claramque redisset
Parthenopen victor, qui forti milite densas
tot Turcarum acies validis superaverat armis
et pulsum regem regnis induxit avitis.
Non sine te maris immensos invadere fluctus
tentasset mea cymba, novo nec in aequore vela
tendere, sed Mellae tenuisset parva fluenta,
hic ubi Chineas arces, atque arma, virosque,
florentemque urbem ingeniis, opibusque potentem
concinerem : fuit haec olim nam condita ab alto
sanguine Cenomanum, quae gens fuit aspera in armis,
auxit et Italiam laetis successibus, unde
Cenomani illorum dicti de nomine montes.
Te Carolus semper magno est dignatus honore
namque tibi curam soli commiserat omnem
regnorum, imperiique simul, bellique togaeque
tempore. Nunc breviter memorabo, quae genitori
rettulit ipse tuo longe admiranda Columbus,
post lautas epulas et mensae dona secundae.

Jam caelum et terras tenebrosa involverat umbra
humida nox, pelagique sinus, unoque favebant
ore omnes, et erant mensis sublata secundis
pocula jam, solitoque pius de more sacerdos
egerat ingentes submisso vertice grates
aeterno caeli et terrae rerumque parenti,
cum primus Granvella inquit : "Nova gloria gentis,
Christophore, Ausonidum, dic nunc ex ordine portus
inventos a te, dic regna, tuosque labores.
Et toties sileant vates jactare Pelasgi
innumeros terrae tractus lustrasse viasque
Alcidem, Bacchumque Indos penetrasse, sua quas
purpurea exoriens terras sol luce revisit :
hae vatum sunt ambages, longeque superstes
illorum fama est major, quam vivida virtus,
et totum implerunt variis erroribus orbem.
Felix Ausonia tellus, cui contigit uni
totius mundi imperium, nunc et quoque felix
quae talem te laeta tulit sub luminis oras,
cui Deus omnipotens alto dignatus Olympo est
tot pelagi monstrare vias, tot regna, tot urbes
egregias, quas majorum non viderat aetas.
Per te namque illae Cancri sub sidere gentes
unumque trinumque deum agnovere, repulsis
numinibus, veri quae gens ignara colebat,
quos omnes nostri tinxere salubribus undis.
Fondescent dum vere novo Taurique sub ortu
stellantis nemora, et partus non terra negabit
alma suos, dum purpureis e collibus uvas
vinitor ipse leget, metet hordea grandia messor,
notus eris fama aeternum, qua praecipitans sol
invisit gentes alias et qua redit ad nos
atque orbis spatium hoc revoluta luce revisit".
Tunc Ligur innixus solio sic fatur acerno :
"Quod petis ut narrem populos inventaque nuper
tot maria, et nostris incognita sidera nautis,
expediam, nec te longo sermone tenebo :
nec mihi res memorare leves, nec cuncta referre
mens est, atque oras tantarum evolvere rerum,
sed dicam quae causa animum justissima nostrum
moverit hos tentare sinus, quos alluit ingens
Oceanus, fluctuque ferit, pelagoque revincit,
ne videar tantos frustra subiisse labores.
Hanc caeli molem immensam et spatia ardua zonae
quinque tenent, quarum mediam sol lampade torret
assidua radiisque coquit (sic prisca vetustas
credidit), extremae scelerato frigore torpent
perpetuisque rigent nivibus, glacieque perenni.
Non illis aestas ulla est, redoletve novum ver
floribus, aut illic praeceps autumnus aprico
colle rubet. Nix alta tegit juga celsa tenetque
planitiem, silvasque, suos non flumina tradunt
in mare perpetuos cursus : silet aura, nemusque
fronde carens. Frustra silvis intenderet altis,
aut alta convalle plagas venator Orion.
Hic mare non notum nautis : has inter utrasque
et mediam tantum colimus nos maxima regna.
Haec sibi jam pridem veterum solertia finxit,

sideribusque dedit nomen, centumque locavit
monstra polo et positas varia sub imagine formas,
quae laetas messes et amicos insuper imbres
agricolis persaepe solent praedicere, et annos,
in quibus aut ingens segetum, aut penuria vini est.
Sed mundi, nec vana fides, primordia dicam.
Principio Deus omnipotens cum conderet astra
fulgentesque poli sedes, spatia ardua caeli,
solemque, lunaeque globum, noctemque diemque,
ille idem terram e nihilo, pontumque creavit ;
implevitque feris terras et piscibus altum
aequor, avesque simul silvis immisit opacis.
Mox hominem propriis manibus fabricator Olympi
formavit facili ex limo, praesensque recentem
illi inspiravit vitam, terramque patentem
illius imperio subjecit et aequora aperta.
Credere nec dignum est ipsum fecisse vacantes
tot maris ingentes tractus, tot inhospita regna,
et mundi liquisse duas habitabilis oras.
Est regio Tanaim juxta Rhodopeiaque arva,
non umquam viduata gelu nivibusque, nec aura
assidue gelido Boreae spirantis ab axe.
Hanc tamen innumerae gentes coluere, coluntque,
frigoribus etiam mediis sua rura domosque.
Quid referam Thracum regem, quibus imperet oris,
quosque regat late populos, quibus asperat ingens
Strymonias Aquilo ventosis flatibus undas ?
Frigentis Scythiae non carmine prosequar oras
arvaque, et ad gelidum constructa mapalia litus ;
hic ubi pastores ursorum pellibus usi et
frigora nil curant hiemis, specubusque juvencos
includunt et proceras dant ignibus ornos,
sive oritur canis Icarius, seu frigida caelo
nix cadit et niveo terras obnubit amictu.
Extremi Garamantes habent armenta gregesque,
quos numquam stabulis claudunt, et nocte dieque,
aut silvas, aut prata tenent, semperque vagantur.
Illic perpetua est aestas et nescia brumae
torrida, sed superante aestu caelique calore
unda tepet longe Oceani et cava flumina fervent.
Insuper Aethiopum gens totum nota per orbem est
atque Arabum, nec non populorum, qui loca zonae,
quae media est tepidas inter, quam torret iniquis
sol radiis : non posse gelu perferre, nec aestus
terrarum pontique genus mortale putabat
aetas prisca hominum quondam, quae vana fuerunt
somnia. Nam juvenis virtus spectata sub armis
Pellaei haud potuit longum differre morarique,
atque rei veterem famam dubiumque removit.
Ille etenim valido formavit remige classem,
elegitque duces assuetos vincere semper
bellando, jussitque novas inquirere terras,
quique sinus magni Oceani Austrum inter et Eurum
detegerent, qui dum sulcarent invia quondam
aequora terrarumque plagas videre per aequor.
Taprobana in medio posita est, quarum insula laeti
dives agri, dives gemmarum aurique, boumque,
atque frequens late populis, corruptaque nullo

aeris infecti vitio, sed quaerere testes
tantarum haud opus est rerum, namque aequoris aestus
arentis Libyae tenuerunt fortibus alnis
jam Lusitani, fundaruntque oppida et urbes,
et nautis iter insuetum invenere, novamque
tellurem, populosque alios immanibus ausis.
Ipse ego jam Libyae ratibus vada salsa cucurri,
Guineamque adii gemmarum aurique feracem.
Quin etiam cum saepe iterans maria alta profundi
Oceani, Gades ultra prope Lusitanos,
noctesque totosque dies vigil observabam
litore ab occiduo, quaedam vaga flamina certis
temporibus anni et certis spirare diebus :
haec gigni ex aliqua tantum tellure putabam,
quam rebar longe distantem a litore nostro.
Quid memorem populum undantem, quem Scandia misit
frigida in has partes, quas tunc vastavit, et igni
tradidit, et praeda in patriam remeavit opima ?
Extremique Scythae montes liquere supremos
Mongalli atque armis Asiam domuere, tenentque
imperio quasdam partes. Islandia ponto
Oceani vasto est, rigida et porrecta sub Ursa,
perque dies multos distans a litore Thule.
Accessi has olim partes, ubi non ego vidi
perpetuis nivibus montes albescere semper :
non etiam hic frigus penetrale ita regnat, ut unda
fluminea haud possit gelidum se evolvere in aequor,
pascunturque ferae silvas, maria aspera delphin
hic secat, atque lupus fluviorum pascitur undis.
Innumerabilibus populis cum terra frequens sit,
occasum quis nam variis sine gentibus esse,
et sine terrarum spatio pelagique negabit ?
Terrae etenim septem pars est subjecta Trioni,
pars etiam subjecta Noto, subjectaque Eoo,
unde aliqui veteres olim, qui non nisi partem
noverunt mediam hanc terrae, maris esse putarunt
Oceani immensosque sinus atque alta fluenta,
quae tegerent spatium hoc indeficientibus undis.
Conscia sed veri longa experientia damnat
hanc rem, credibilem quondam, qua praevius almum
Lucifer adventare diem mortalibus aegris
nuntiat. Innumeras dicunt sub sole oriente
Oceani nautas vidisse per aequora terras
et longe distans a nostro litore litus.
Has interposita est sat multum nota Cipango,
multarum rerum dives, nec flumina desunt
auroque et variis semper currentia gemmis.
Esse habitatum etiam quidquid sol aureus ambit
lumine purpureo haud dubium est, dumque hoc mare nauta
verberat arboribus, semper nova regna prius non
visa videt, tractusque maris, terrasque patentes.
Hinc etiam magni heroes bellique domique
praeclarum duxere genus : Germania testis,
Galliaque, et nostris divisa Britannia terris,
quique bibunt undam Eridani, Rubiconis et amnem,
Vulturnique colunt ripas, atque Acidis oras
Trinacrii, et longe montes litusque Pachini ;
nunc quoque tot proceres, habitant qui maxima regna

Europae, stirpem illorum sese esse fatentur.
Spero equidem post me non multo tempore nautas
venturos, retegent sparsas qui per mare terras,
litus et invenient occasu a solis ad ortum
continuum, quae crediderant jam lapsa virorum
saecula tot vana esse hominum figmenta, nec ullum
ulterius posse esse solum, sed inhospita tantum
aequora et Oceani tantum notissima monstris.
Hanc igitur terramque coli, trabibusque profundum
proscindi haud dubium est, et quae mala frigora densant
ipse calor laxat, passa est quaeque herba calores,
rore suo hanc reficit per noctis luna tenebras,
nam nitidus cum sol sero sub vespere terras
liquit et ante oriens quam sese ostendet ab orbe
Eoo, aerios rores bibit arida tellus.
Hinc laetae veniunt segetes et mollia campis
gramina, et occultas vires terra alma ministrat
arboribus : virgulta greges et roscida tondent
pascua, et in dumis ducit rosa nata colorem.
Hactenus ut finem faciam, Perenotte, loquendi,
dum causam expedio, quae me tentare profundum
impulit, ut ternas Fernando a rege carinas
instructas peterem, patriis qui nuper ab oris,
quas secat Hesperius fecundo flumine Baetis,
expulerat Numidas atque agmina Barbara victor.
Tunc ternas dedit ille rates, quas laetus ad undam
Pallensis portus deduxi robore duro,
pendula perque altum converti carbasa versus
non longe positas Hispano a litore Gades,
cum silvis jam poma rubent et collibus uva
jam rubet, et foetu curvatur pampinus, et cum
trans mare, permetuens hibernos garrula soles
remigio volat alarum, brumamque nivesque
increpitat, tepidosque dies adfectat hirundo,
atque catervatim Maurusia regna revisunt.
Nam circum facies placidi maris, et celer Eurus
et mitis, monstrabat iter per caerula tutum.
Pinzones mecum vexi, qui marmora nostra
atque mare Oceanum lustrarunt abiete longa,
et ventis hieme in media se opponere norant.
Una frater erat non belli ignarus et alto
venturas tempestates praedicere, et Austros.
Miles erat mecum solitus tolerare laborem
militiamque gravem, durique incommoda belli
Fernando sub rege, suis dum Barbara terris
agmina victor ovans infestis expulit armis.
Difficili haud cursu tranquilla per aequora Gades
deveni ; hic donis opulentum et marmore vivo
templum adii Christo exstructum, cui debita feci
vota libens, Patrique simul, ne regna petentem
extera me tandem sineret, sociosque, ratesque
illidi scopulis mergive sub aequore vasto :
et tu, stella maris, quae non te condis, ut astra
cuncta solent, toto effulges sed semper Olympo,
cui cedit splendore nitens luna et rutilus sol,
ille diem terris quamquam vehat et vehat illa
siderea noctis caeli per inania lumen,
dum nos hac classe exigua freta mota tenemus,

incerti quo nostra ferant vaga lintea venti,
da nostram hanc puppem portus intrare, marisque
per tantos tutam ire sinus. Ferque, inclyta Virgo,
ipsa viam hanc facilem miseris : tu namque potentem
concilias nobis caeli terraeque Parentem.
Post ubi legerunt pontes et vincula nautae,
mox celer immensum conscendi a Gadibus aequor
et cursum pelago intendi, qua praecipitans sol
occiduam in Cancri vergit sub sidere partem,
sidereum linquens caelum surgentibus umbris.
Canariasque viam versus tentamus, ibique
flammiferam legimus Teneriffem, e vertice cujus
saxum ingens altumque globos prorumpere ad auras
flammarum, et longo tractu splendescere noctem,
praecipue Eois cum flant e partibus Euri.
Ignarus tamen ipse viae, nec territus unda
insolita, aut metuens incognita sidera nautis,
ausus vel stagna alta ratis proscindere rostro,
sed summi Patris auxilio confisus, et aura,
ad Fortunatas Euro feror alite terras.
Hic ubi mane novo sacris de more peractis,
Oceani ingredior latices prius intentatos,
tunc nostras primum senserunt aequora puppes,
quae nullae secuere rates, non navita vidit.
Pandimus et velorum alas, nosque Eurus euntes
prosequitur, validis et lintea flatibus implet.
Conversus vero ad socios sic ora resolvi :
"Navita, vel milesque fuat, qui lumina primus
per noctem, aut molem et montes aspexerit, hunc Rex
extremae Hesperiae donabit munere multo ;
quare agite, o socii, gemmis auroque petamus
non gravidam bellis terram, nec litora nostris
pervia". Et, his dictis, assueta invertere fluctus
remigiis pubes securas navigat undas.
Ipse ego surgentem solem vagaque astra notabam,
nec non occasus illorum, et nubila, et aure
intenta spirantem auram, placidique tenorem
servabam maris incoeptum, et mea semper ad astra
lumina vertebam, nam me non noctibus illis
ulla quies (pacata forent licet aequora) pressit.
Hoc cursu magnetem illum, quo in pixide nautae
utuntur, quo monstret iter, non semper eumdem
deprendi spectare locum, stellamque polarem
(ut dicunt) : nostris res nondum haec cognita nautis.
Orta dies sine nube, Euri surgebat ab oris,
et radiis sol purpureis et lampade fulva
aureus Eoum spargebat lumine litus,
trigintaque dies jam vela inflaverat Eurus
cum timidus nollet ultra procedere miles ;
sed quamvis cuncti vellent in regna reverti
Hesperiae, longi pertaesi per freta cursus,
ipse viam tamen haud volui convertere, namque
classis erat non fracta Noto, non murice caeco,
nec fractus miles pugnata ob bella per undas.
Turbatur semel atque iterum formidine ductor,
dum toties vidisse solum per lata putavit
aequora, saepe maris frustra tranasse profundum
herbosum, et varias volucres, populosque natantum

haud nostris forma similes, tunc miles amarus
in me me tumidusque ira mussabat, et ense
saepe minabatur mihi mortem, cum tegit umbra
nox caelum, vel luce dies, et spargere in aequor
insuper, atque novam monstris me linquere praedam.
Jamque orbem vaga luna suum compleverat et jam
e summo rediens sese ostentabat Olympo
lumine sublustri, cum jam nox ipsa teneret
Oceanum et terras caligine, et Eurus apertos
per fluctus ageret tenui jam flamine puppes :
"Visa mihi haud longe terra est" Rodericus Hiberus
navita ait summi servans carchesia mali
"Nonne etiam Zephyrum flantem sentitis et auram
jam notam nautis auram, e tellure propinqua
laetitia exsultant omnes laetique salutant
vocibus hanc visam post tanta pericula terram,
nauticus aequoreas tunc clamor personat undas :
hanc piceis mixtam tenebris prospexi ego primum,
mox comites videre alii, cum nox silet atra.
Tunc socios terram hanc versus convertere proras
confestim jubeo nautasque incumbere remis,
vixque jubar caelo sese ostentabat et astra
cedebant primo radiantis solis in ortu :
gratior haud umquam terris, nec laetior orta est
ulla dies, mage nec claro sese extulit ortu.
Nam circum mare pacatum ridebat et alto
nostra vehebatur pelago sine remige classis,
cum procul aerios montes, geminasque videmus
circuitu longo sparsas per caerula terras,
mox alias, mox inde alias : nam clara fuerunt
signa prius nobis sulcantibus haud procul esse
tellurem optatam toties, votisque petitam.
Hic nos laetitia lacrimas effudimus, altumque
aethera, spectantes Christo, Mariaeque parenti,
aeternoque Patri, geminos qui temperat axes,
reddidimus cuncti submisso poplite grates,
queis nostrae ducibus cursum tenuere carinae
jam tutum et nullo ventorum turbine victae,
et nullo comitum amisso ; dehinc talia fudi,
convertens oculorum orbes convexa ad Olympi :
"Tu, Pater omnipotens, ignota per aequora cursus
da faciles, ne nos inter maria invia surgens
in pelagi cursus Auster ferat atque recursus."
Harum prima novos flores herbasque tenebat,
arboris et virides frondes ; fontesque lacumque
hac media ingentem vidi, nam nullus ibi mons
eripiens prospectum oculis erat aequora juxta.
Currebat gens ad litus visura carinas
attonita et stupefacta rei novitate, putabatque
esse rates nostras tot monstra natantia ponto.
Tangimus hoc fessi litus, laetique subimus
Guananaim portum, parvamque intravimus urbem,
et grato accepti hospitio revocamus opima
amissas mensa vires. Nam mitis erat gens,
vultus item est illis placidus, frons lata licet sit,
quae corpus paulum et faciem turpabat, et ora.
Non forma exiguum corpus, crinemque resectum
supra aures crassum et nigrum pars major habebat.

Estque color oleae similis, qui vergit ad atrum.
Atque aliquis nudatum ensem, gladiumve tenebat,
tractabatque manu, ceu lignum, at post ubi apertum
aspexit vulnus, trepidansque gemensque dolebat.
Quaerebat signis an nos venisse suprema
e sede aetherea, et caeli colere ardua tecta,
atque una cum caelitibus. Ferrique per urbem
tunc belli signum jubeo, passimque viarum
strata per atque forum cornu instrepuere recurvo,
et totam implevere novis clangoribus urbem.
Parte alia fractos sonitus dedit aenea moles
flammis permixtos rutilis, et litus et aequor
intremuere sono insolito : longe insula Cubae
audiit et sonitu gens est exterrita tanto.
Urbemque hanc parvam sine caede et sanguine regnis
Hesperiae primum adjunxi, namque ordine cuncti
acta palam assensu cives populusque probarunt.
Non fluat e terrae venis aurive metallum,
aut aeris, ferrive licet, sitque insula pauper,
at gens illa tamen gestat bipatentibus aurum
naribus. Hic gentes sunt nudae et versicolore
pictura exornant corpus. Armantque preustas
piscis dente sudes vice ferri, sunt quibus hostes
pellere consueti et circum sua regna tueri.
Septem ex his juvenes mecum per caerula vexi.
Hic vidi aspectu horribili torvoque Molossos,
quos sine latratu referunt componere soles.
Atque hic non pelagi tractus, non noscere mores
permisit breve me tempus, nam nocte dieque
detegere has terras ingens me cura premebat.
Mox iter ingentis direxi ad litora Cubae ;
quattuor aspexi non longe per freta terras,
quarum cuncta novis redolebant floribus arva,
consita erant passim arboribus, queis garrula lympha
non deerat, fugiens per gramina odora, rigansque
vicinum nemus atque halantes floribus hortos.
Res vero his terris nulla est mihi visa relatu
digna mage hac, quam nunc memorabo : ramus adoptat
ramum alium, variis foliis varioque colore,
pomaque sunt intus varios servantia succos
cortice non simili, mater quae stipite ab uno
Daedala terra creat ; haec numquam poscit avari
dura ministeria agricolae sub tempore veris.
Dehinc nos ardentes placido cava lintea ponto
solvimus atque viam velis deflectimus inter
has pelago sparsas nullo discrimine terras.
Illic nos silvas legimus, quas longa gerebant
litora, et arva simul nullis obnoxia rastris ;
vidi lanigeras non longe a litore silvas
et passim arboreis pendentia vellera ramis.
Vidi et odoratos alio sed litore lucos,
frondentes quorum rami mollissima servant
vellera, quae levibus siliquis inclusa teguntur.
Quid memorem pictas volucres, quae florea circum
prata volant, cantusque suos noctique dieique
aequant, et variis implent concentibus auras ?
Frondosisque sedens ramis Philomela canebat,
quas inter canit Eois non natus in oris

psittacus, et volucrum cantus imitatur, et altis
arboribus strepit, et lingua nova verba loquaci
ingeminat, repetitque avium per guttura voces.
Hic volucres fundunt cantus sub mense Decembri,
pars dulcem frondentis alunt in vertice pinus
progeniem, pars ova fovent, pars arbore nigra
nidificant latebrisque domos frondentibus abdunt,
namque dies erat hic tepidus, ceu vere rubenti.
Non desunt illic portus et flumina nautis
grata nimis Zephyri si quando spiritus undis
insonat insequiturque rates revoluta per alta.
Accessi tandem Cubam, magnumque fluentum
tendere in Oceanum vidi, portumque capacem
non parvae intravi classis, tutumque procellis ;
namque erat hic portus saxis circumdatus altis,
in morem stagnantis aquae, quo clausa silebat
unda, nec undantes fluctus ventosque timebat.
Nec longum haec statio tenuit me, sed cava ponto
vela dedi, numquam linquens ea litora Cubae
per multos soles. Resonans sed flatus ab alto
vertice spirantis Boreae et maris unda tumescens
terruit ulterius procedere. Nec mora vento
obverti adverso sinuosa per aequora cursum,
permetuens instantem hiemem, pelagique furorem,
et gemitum. Cum jam Boreas nos horrifer oris
Quiqueiae appulerat, legerent et carbasa nautae (Haiti)
laetitia perfusi animum et de more coronas
puppibus aptarent, subito praetoria pinus
est brevibus inflicta vadis, qua longa jacebat
saxea planities subter mare, puppis et imis
solvitur icta vadis, nautasque relinquit in undis.
Continuo impellunt socii per caerula cymbas,
auxiliumque ferunt timidis, ratibusque reponunt
incolumes : navis scopulo sic fracta resedit.
Corpora sed madidi comites dum litore curant
et sagula ad tepidum solem madefacta reponunt,
protinus ingredior densum nemus ; hic ubi primum
conspexi indigenas cursu juga celsa secantes,
nosque videre viros cupidi, nova cernere regna,
tela manu intrepidi capimus, sequimurque fugaces.
Tunc illi celerare viam, et transmittere cursu
praecipiti patrios colles, et fidere silvis :
haud aliter fugere viri montes super altos,
quam timidi damae sub primae tempora lucis
conspecto procul herbosa in convalle leonum
agmine, dum silvis errant, sic illa petivit
turba virum loca nota metu, seque abdidit umbris.
Compressi subito gressum tristisque redibam
ad naves sine praeda, ederis cum condita virgo
concussit folia et frondes, quibus ipsa latebat.
Has motas petimus frondes, tunc abdita virgo
exsiluit facie insignis, sed fusca colore ;
confestim illa capi sese permisit et una
mecum incedebat silvis non maesta sub altis.
Haec ducta ad naves epulis expletur, et alba
induitur laena, disponuntque ordine crines,
crystallum dant et digitis et iaspide ; cingunt
virgineum latus, hic gentes nam corpora nulla

veste tegunt, nudi incedunt, et cum redit aestas
et cum bruma redit, venit et cum purpureum ver.
Mox virgo in notos rediit jam libera colles,
primoresque petit nemorosa in valle latentes,
ostenditque habitus, atque ordine cuncta recenset,
narrat et ingenium gentis mite et genus alto
e caelo venisse novum : tunc ocius omnes
decurrunt properi, qua semita ducit ad aequor,
et veniunt ad nos ultro, signisque salutant,
cum quibus et digitis loquimur, nutuque frequenti.
Planitie fractam scopuli ut videre carinam,
tranarunt rapidi stagnantes lintribus undas,
et patrium ad litus remos, et vela, rudentesque,
et ratis arma ferunt : tunc gaza reducitur omnis
nautica et ad litus defertur lintribus altis ;
nos illos donis fessos cumulamus agrestes,
crateras septem vitreos, et pocula septem
fictilia, heroum variis decorata figuris,
bissenasque damus tunicas, totidemque cothurnos.
Interea dum nos jam quassam in murice puppim
Teximus, aptamusque trabes, redit extera pubes,
quae nobis fuit auxilio, et lectissima secum
frusta auri, atque auro permixtas portat arenas,
et teretes donant parvo pro munere baccas.
Noctesque totosque dies ad litora nota
orbe alio advectas gentes visura ruebat
turba virum, natisque patres, pariterque nepotes
permixti, armatosque duces mirantur, et auro,
purpura et indutos proceres, sonitusque tubarum.
Gestat acu hic pictam tunicam, cristasque volantes,
hic picturatis radiantia baltea signis.
Ast alii tenuere locum, quo quadrupedantes,
insultantque solo, glomerantque in litore gressus :
praevertuntque Notos cursu, et candore ligustra,
et vix in prima figunt vestigia terra.
Miranturque novos habitus, mirantur et arma
bellantum non visa prius nec cognita quondam.
Parte alia volitare vident sine remige puppes
atque maris penetrare sinus, licet Auster aquosis
incumbat pelago nimbis, hiemesque minaces
ingeminent, piceisque cadant e nubibus ignes.
Sternit humi se quisque, sonum dum territus haurit
auribus, effundit reboans quem ferrea longe
machina, fumososque ignes attollit ad auras,
perstringitque oculos flammis fumoque sequaci.
Erexique crucis signum venerabile curvo
litore confectum palma pinuque virenti,
quam populi circum signis nutuque colebant ;
unanimique sacerdotes haec carmina sacra
in laudes, Pater alme, tuas cecinere : "Deum te
laudamus, trinumque Deum, Dominumque fatemur ;
te Patrem aeternum veneratur litus utrumque.
Te veneranda cohors caeli et caelestia regna,
atque potestates sublimi voce vicissim
insigni, te laude ferunt super omnia, quae tu
fecisti, et caeli spatiosa per atria dicunt
ter sanctum, nostrumque Deum, Dominumque Patrem
te celebrant, cum cuncta tuo sint numine plena,

qua sol luce sua lustrat, dum circuit oras
aethereas, tractusque maris terrasque patentes ;
atque tibi assurgunt gentes felicis Olympi,
et duodena cohors comitum te, Christe, tuorum
concelebrat, fudit quae pro te caesa cruorem,
quorum vox late occiduas pervenit ad oras,
atque Arabum, Indorumque domos. Vos o quoque vates
Abramidae, quibus ore dedit praedicere nati
adventum Deus ipse sui et rerum abdita. Vosque,
qui quondam sparso meruistis certa cruore
praemia, nunc alacres Dominum laudate supremum.
Vos quoque virginei coetus, quibus una fuit mens,
una pudorem ipsum a teneris coluisse, nec umquam
concessos subiisse toros, nec floris honorem
virginei amisisse, Deum laudate parentem
immensae majestatis. Vos o quoque sancti
caesariem lauro insignes, palmasque tenentes
dextera Idumaeas alacres, et vestibus albis
induti, immensas Patri vos dicite laudes,
caelestique simul divini numinis aurae
nos etiam Christum unigenam, magnoque Parenti
aequalem canimus, summi tu magna Tonantis
gloria, stellantisque poli : dignatus et alvo
tu de virginea nasci, tu funus acerbum es
in cruce pro nobis passus, quos sanguine et ipsa
morte redemisti, patefactaque janua caeli
his nece, Christe, tua est, tua qui sunt jussa secuti.
Es Patris aeterni aeternus tu Filius, et Rex
gloriae, et ad dextram Patris omnipotentis, et alto
ipse sedes solio sublimi in vertice caeli ;
venturumque diem te judice credimus olim,
quo tu digna malis et justis praemia reddes.
Tu nobis igitur succurre precantibus et nos
aspice, sulcantesque ignota haec caerula puppes
innocuas serva, et dextram ne subtrahe nobis,
namque in te posita est spes nostra, sinusque repostos
te maris Oceani duce nos penetrasse fatemur.
Quas et agam grates tibi nunc, qui me duce terras
non visas olim voluisti ostendere saeclo
huic nostro atque alio positas sub sidere gentes ?"
Jam Guacanarilli pervenit rumor ad aures
externos venisse viros, litusque tenere :
obstupuit Cemium repetens oracula secum
(indigenae sic appellant sua numina gentes),
noluit et capere arma manu et depellere classem
finibus, eventu rerum factisque sinistris
territus. At properans ad litora nota tetendit,
atque ultro dedit ex auro mihi munera multa,
et sumus hospitio a populis et rege recepti,
anseribusque alius nautas onerabat opimis,
pars patrias epulas et viscera tosta ferebant.
Sed dicam cur depositis rex venerit armis,
rettulit ipse olim nam rem mihi saepius omnem.
Quiqueiae extremus rex Guarionexius oris
et Guacanarillus, materno sanguine juncti,
dum super imperio Cemes rebusque futuris
consulerent, flexoque orassent poplite ad aras,
interea per quinque dies, solitoque sopore

et solitis epulis sese abstinuere, nec umquam
cessarunt in vota oculos ad numina semper
intenti, quibus est adytis vox reddita : "Reges,
audite haec responsa : dies inopina propinquat,
qua regnum hoc felix et regia sceptra tenebunt
vestibus indutae gentes, quas extera classis
hunc vehet, evertentque urbes, operosaque templa,
et quoque nos legesque novas et sacra docebunt.
Nec vos, o reges, vox haec deludet inani
augurio : tu rex populis audita referto."
Inde recens illos luctus maerorque tenebat,
atramque invisamque diem taciti exspectabant.
Finierat, tremuitque solo mota ara recusso,
concussaeque fores templi, et penetralia longe
insonuere : fragor templi tecta alta replevit.
Tunc reges rerum attoniti novitate recedunt
tristes et Cemium populis responsa retexunt.
Tempore, quo has terras petii, rex Guacanarillus
ingens exstincti regnum jam patris habebat,
praeclarum referens nomen genitoris amati ;
jam ratus advenisse diem, quo dicta supremum
finem habeant Cemium, vectas sibi jungere gentes
foedere amicitiae quaerit, speratque tenere
posse sua imperio tali sub foedere regna.
Dum vero surgens attolleret aethere Taurus
cornua, decrevi remeare ad litoris oras
extremae Hesperiae, victorque inventa referre
tot maria atque alio gentes sub sole repostas :
praecipue liquidi soles et vertice ab alto
leniter aspirans Zephyrus discedere tum me
cogebat, laetumque meos invisere reges.
Ut vero faciles populos, mitem quoque regem
aspexi, visum est paucos mihi linquere posse
his terris impune viros, et tollere parvis
securam tectis arcem, et circumdare fossa.
Xamana in regione novi sub tempore veris
exiguae vallos arcis de caespite vivo
exstruxi ex trabibus nexis et vimine flexo,
aggereque incinxi valido. Atque ex milite certos
delegi bello expertos, quos Guacanarillo
commendo, illorumque ducem liqui Rodericum,
Corduba in arma parens primo quem miserat aevo,
assuetum obsessas urbes et castra tueri.
Dehinc ipsum regem placido sic alloquor ore :
"Maxime rex, qui sponte tuis consistere regnis
invitas fessam hanc classem et consurgere portu
litoreo sinis hanc molem, victumque ministras,
promissis maneas oro, quae saepe dedisti,
et serva hanc gentem precor, et defende cohortem
hanc solita pietate : erimus, rex inclyte, numquam
immemores tanti meriti, regnisque potentem
atque armis nostrum jungemus foedere regem.
Non veni populare domos, non perdere ferro
hanc gentem, vel te patriis expellere regnis."
Et mox ad socios converti lumina et illos
talibus aggredior dictis : "Vos bellica pubes,
unanimes laetique dies agitate, metumque
mittite, nam vobis validum rex maximus ultro

auxilium feret, imperio qui litus, et undas,
et circum regit hos montes, atque oppida circum ;
vos regis quaecumque sequi ne temnite jussa.
Quae vobis, juvenes, praeclaro hoc digna labore
praemia persolvam ? Caelo quae gloria jam vos
sublimes factis ventura in saecula tollet ?
Fernandus vobis meritos persolvet honores,
non sine muneribus magnis. Convertere cogor
per maria alta rates, iterumque revolvere fluctus
ut Regem faciam certum cursusque viaeque,
quasque alio sub sole novas deteximus urbes :
vere novo has iterum dulces redituros ad oras."
Tum rex laetus ait : "Curas seclude sequaces,
dux demisse polo, nam miles nullus adibit
hos armis : haec terra mea est, et caerula circum,
semper eos ope praesenti auxilioque juvabo.
Per mare pacatos tibi dent tua numina vento."
Mox meme et socios dextra petit, et tenet ipsos
amplexu, lacrimansque alios complectitur, et sic,
corde nefas versans, se in regia tecta recepit.
Tunc comites intrant arcem sub foedere regis,
et nautae mare purpureum nigra rate currunt,
nam flabat crepitans Zephyri levis aura per aequor
suadebatque maris cursus tentare patentes.
Indigenasque decem, fratemque, per aequora mecum
ducere decrevi, certosque relinquere in arce,
ne forte imperio premeret trabis advena terras
regnaque, litoreosque sinus, populosque propinquos.
Et mox aequoreas curva rate verrimus undas
et tandem Hispanas Zephyris comitantibus oras
deveni, Taurus celso cum surgit Olympo.
Et primum accessi Gades, altariaque auro
et donis onerans, Christo pia vota supremo
facta prius solvi, solverunt et sua mecum
vota alacres media templi testudine nautae.
Protinus has linquo terras, puppesque volarunt
immensum mare per, laetique potimur arena
optata et tandem regalia tecta subimus,
et simul inventas alio sub sidere gentes
(nam regem egregium bello tunc Barchino habebat)
narramus regi. Atque auri purissima dona
perferimus, nec non baccas, nostrisque volucres
dissimiles, similesque etiam, nam corpore major
psittacus est, pulcherque magis, pennisque coruscis
et variis, quam nos cavea servare solemus.
Cinnamaque attulimus suavi fragrantia odore,
acriaque, et gustu torquent quae protinus ora,
atque aloen herbam, quae tristi est plena liquore.
Solus per silvas et prata cuniculus illis
in terris quadrupes depascit gramina : mecum
hunc triplici vexi specie. Mirarier omnes
quos illinc vexi juvenes, pallentiaque ora,
auribus et simis dependens naribus aurum,
deformes visu ac breviori corpore. Tum rex
his visis, mora nulla, parat classemque virosque
expertos bello atque armis, suetosque periclis,
et lectos centum artifices, totidemque colonos.
Addit mille viros, qui secum barbara contra

722 agmina pugnantes victricia signa tulerunt.
723 Magnanimus non defit equus, qui Baetica pascit
724 pascua, quique Tagi vitreos bibit accola fontes.
725 Narrarem ac breviter dum regna inventa, sinusque
726 tot maris, et sparsas per tot maria aspera terras,
727 Fernandi jussu, populo spectante, sedebam
728 illum et Reginam juxta, qui magnus in oris
729 est honor extremae Hesperiae, quin sponte supremum
730 rex me rectorem classi praefecit et alto
731 Oceano. Dehinc vectigalia regia dono
732 quaedam concessit, fratrem quoque non sine honore
733 dimisit, cui jam partas concesserat oras
734 ut regeret, litusque maris, populosque Quiqueiae.
735 Artifices mecum varios, armentaque vexi.
736 Omnigenumque gregem delegi, armentaque primum,
737 ut maribus cum tempus erit submittere possem ;
738 Elegi in spem gentis equos, selectaque farra,
739 grandiaque herbarum beneolentum semina, ut hortos
740 tam pingues nostri colerent. Plantaria viva
741 camporum nemorumque tuli, nam haud nascitur illis
742 partibus ulla arbor, nisi pinus stipite recto
743 et tereti, celsaque coma, proceraque palma ;
744 duritie hac sunt indomita, quibus arma ferox gens
745 conficit atque enses, ferri est sine terra metallo,
746 hosque acuunt saxis, quae secum flumina ducunt.
747 Collibus apricis dum vero rusticus uvas
748 jam legeret, properansque domum sarmenta referret,
749 scinderet atque agros procurvo vomere, jussi
750 erigere et malum, maloque innectere funes,
751 ne ruere antemnae, scindi ne carbasa possent.
752 Hispanas etiam conplures maximus ardor,
753 tantarum et rerum novitas, adapertaque regna,
754 impulerunt ignotum aequor percurrere mecum,
755 unanimesque damus spirantia flamina classi.

## DE NAVIGATIONE CHRISTOPH. COLUMBI LIBER SECUNDUS.

N_2 v.1 Tunc ipse Hesperiae fines portusque reliqui,
2 cumque decem et septem ingressus sum puppibus aequor :
3 Ad Fortunatas meque Eurus detulit oras.
4 Ut Graii referunt vates, vatesque Latini,
5 actutum applicui ad litus, quo ferrea tantum
6 insula habet gelidum laticem, purumque levemque,
7 qui non e terra erumpit, non fonte perenni,
8 non e rupe cava emanat per scrupea rivus ;
9 litora non surgunt illic puteique lacusque,
10 humida sed nubes circum collecta virentes
11 arboris obnubit ramos frondesque diebus
12 continuis, cum mane novo sol aureus orbem
13 invisit, pulsaque diem jam nocte reducit,
14 quae liquidas versa in lymphas, ex arbore, ceu ros
15 frigidus, instructam muro saxisque lacunam
16 distillat, potumque gregi, populisque ministrat :
17 haec dulcis gustu est, nec non et frigida tactu.

Post hinc digressus placidum mare puppe cucurri,
et Boreae cursum tendebam semper ad oras.
Ter septem cessere dies, cum per mare nullas
conspexi immensum terras, tandem insula longe
cannibalum se Luciferi monstravit in ortu :
est Eurus perflans adeo nos usque secutus.
Nulla hic turris erat, non ulla mapalia toto
litore, at arboribus multis et gramine plena.
Ultra provehimur ponti per caerula : suaves
vicinum late fundebat litus odores.
Transibam loca multa mari circumdata vasto,
nulli habitata viro ; non his animalia terris
vidimus, aut ullos homines, sed corpore tantum
ingenti ac vario magnos errare lacertos
per silvam et litus. Jacet insula Guariqueia,
quae caeli nitidum lumen nil praeter adorat,
ad quam delati fluvium conspeximus unda
perspicuum, fundoque ingenti et vortice nullo.
Collis erat juxta litus, quem plurima pubes
conscendit visura solum telluris et omnes
cannibalum tractus circum : videt arma, domosque
ruraque, frondosumque nemus, septemque fluenta.
Nostrorum pars descendunt e navibus, ipsosque
explorant fines vicinaque tecta peragrant :
Cannibali juga celsa petunt tutasque latebras.
Nostri ad cannibalum sedes facto agmine tendunt ;
tecta vacare viris cernunt, sed sparsa recenti
sanguine. Viderunt trabibus pendentia membra
multa virum, multa et verubus confixa cruentis,
humanis permixtus erat queis psittacus, anserque
artubus, atque aliae nemorum, pelagique volucres,
inclusas testa quas flamma accensa coquebat.
Tunc primum fatur sic puppi interpres ab alta :
"Haec est imperii sedes et regia gentis
Cannibalum, rapido circum pulsata profundo,
qua genus acre virum floret, belloque juventus
aspera, finitimasque armis invadere gentes
assueta, et pelagi percurrere lintribus undas.
Captivos verubus figunt et pinguia torrent
viscera, et in campis laeti vescuntur apricis.
Evellunt pueris testes, nec corpora leto
dant tristi, donec florens accesserit aetas
et cute sint pingues nitida ; mox ense recludunt
spiramenta animae et tectis epulantur in altis.
Femineo generi parcunt, servantque puellas
praestantes aliis forma, quo gignere natos
ex illis possint. Tecti custodia turpis
est anus et nexis virgultis atria verrit.
At vero juvenes, quibus est jam firmior aetas,
Cannibalum gens haec in quattuor effera partes
dividit (horrendum) atque illos eviscerat, inde
corporis extremas partes abscindit, ahenoque
imponit, flamma aut torret, manditque voratque ;
cetera membra sale inspergit cellisque reponit.
Et quoties vento fervet mare, protinus arma
corripiunt, litusque petunt, pulsasque procellis
litora ad ipsa rates rapiunt, spoliantque feruntque.
Ipse decem mecum Quiqueiae litore vexi

per maria alta viros, sed septem tabida febris
invasit, letoque dedit, dum caerula verro.
Hos ego non vinclis, non dura compede vinctos
ducebam, sed erant comites, semperque vicissim
illorum sermone dies noctesque fruebar,
ut me sermonem patrium moresque docerent.
Mox ait interpres : "Fugite hinc, tortosque rudentes
rumpite, quaque vocant nos flamina parte sequamur.
Ipse jube acciri socios ad litora, namque
quae te circumstent inopina pericula nescis ;
Cannibalum ingentem numerum per curva videbis
litora, si attigerit surgens te his Vesper in oris.
Nam totis effrena ruet de montibus haec gens,
quae pedibus superat celeres pernicibus auras ;
non horret gens illa necem, non vulnera vitat.
Vicinos terrae tractus populantur et audent
in fines longe positos excurrere, campisque
inventas abigunt praedas, semperque vagantur
impavidi : interdum centenis lintribus aequor
percurrunt, pagosque petunt, cursumque fugamque
injiciunt, nec certa salus fugientibus ulla est.
Haec sunt arma, quibus Caribes utuntur in hostes
finitimos, cum bellantur : saturata venenis
spicula, arundineaeque sudes, fustesque praeusti
sunt enses facti e palma pinuque frequenti.
Hi saxo magna ossa acuunt summumque sagittae,
telorumque cacumen acutis ossibus armant,
quorum armare acies gens illa est sueta veneno.
Praedones maris Oceani sunt denique, nec gens
ulla potest sese venienti opponere turbae.
Innumeros cymbis vallos et vincula secum
mille ferunt, optantque locum, quem cingere possint
aggere et in morem castrorum claudere fossa ;
hoc faciunt, quoties nigris nox occupat umbris
tellurem, sed praecipue cum condita terris
Luna negat nitidum caeli per inania lumen.
In silvis tecta aedificant sublimia nexis
arboribus, foliisque tegunt. Haec insula mittit
Gossipium et varias volucres nemora ardua pascunt."
Indigenas nuper captas cum munere misi
illae etenim norant solita qua rupe laterent,
atque animos blando pariter sermone, datisque
plurima quae secum tulerant, movere furentum
Cannibalum, inductos quos spe et dulcedine lucri.
Mane novo, cum sol tenebras depellit et almam
inducit terris lucem, per pascua multos
ante alios secum mulier ducebat, at illi
nos procul ut videre, metu vestigia retro
convertere, velut cervi, quos turba luporum
insequitur, notasque metu subiere cavernas.
Tum demum, cedente die, noctisque sub ortum,
nullis Cannibalum silvave, aut litore captis,
conscendi illorum perfractis lintribus aequor,
visendique viros cupidus, quos arce reliqui
jam structa, classis cursus ad curva Quiqueiae
litora vertebam. Sparsasque per aequora vidi
Antilias ; sulcansque salum jam nocte propinqua
sic est interpres fatus : "Has aspice, ductor

Hesperidum, terras et litora, Cannibalum quas
uxores habitant tantum nunc, namque ubi terris
ver redit et Taurus caelo se tollit aperto,
invisunt has Cannibali, et convivia silvis
laeta agitant, choreas plaudunt, silvisque vagantur
obliti solitas ad litora ducere praedas.
Depulsos a lacte mares per marmora secum
adducunt proprium ad litus, redeuntque nec umquam
has sedes, nisi cum terras invisit aquosum
ver iterum nitidosque dies tepidamque reducit
temperiem, durumque gelu brumamque remittit.
Illae habitant certas sublimi in monte cavernas,
queis sese, quoties aliquis petit advena litus,
abdunt, et mox hostem armis solitisque sagittis
depellunt, et multa ineunt certamina semper
victrices, semper captos in tecta trahentes."
Hanc Madaninam vocat illius incola terrae :
hoc vetuit spirans Boreas me accedere litus.
Ultra progredior ratibus maria alta revolvens ;
multa per Oceani dispersas caerula terras
conspexi, laetae felices ubere glebae.
Tempus erat quo clara dies decedit et umbra
succedit gelidae noctis, dehinc praevius ignes
astrorum accendit Vesper, cum classe subimus
jam fessa portum ; jamque ancora jacta carinas
fundabat, placidum qua sese effundit in aequor
flumen, ibi intentis interpres talia fatur :
"Haec etiam dicione tenent fera regna nefandi
Cannibali, nosco positas in montibus aedes :
appellant Ayay (nomen nam rite recordor)."
Descendunt in terram altis de puppibus imam
triginta, explorantque locos, vicinaque tecta,
qui subito dulces hausere e flumine lymphas,
impleruntque cados fluviali hoc nectare. Ibique
quattuor invenere canes in litore tantum,
quos numquam latrare ferunt, silvisque nec umquam
frondosis turbare feras : hi rustica semper
tecta colunt, conduntque suos sine murmure soles,
queis testes geminos vellunt, stabulisque recondunt,
et mactant, cum laeta parant convivia silvis.
Femineo generi parcunt, paucosque reservant,
quos in spem prolis certam gens illa futurae
submitti, veluti pastor, qui per juga montis
ardua mille greges pascit, quos solus ad alta
flumina, et in saltus et laeta in pascua ducit.
Prosiluere decem juvenes, totidemque puellae
Caribium e domibus, petiere et litora cursu
praecipiti, gemitumque gravi, nautasque vocabant
auxilio manibus junctis et poplite flexo.
Cannibalique fuga solitos petiere recessus.
Dum vero trahimus binos in litore soles,
et silva remex sub opaca et miles aquantur
intrepidus, procul ecce vigil custodia magnum
adventare videt, mali carchesia servans
navita, Cannibalum pacata per aequora lembum ;
hunc subito noster venientem est miles adortus.
Illi autem non fracti animis, ullove timore
torsere hos contra volitantia tela veneno

armata, antiquo patriae de more, priusquam
se pictis tegeret clypeis Hispana juventus.
Quid dicam ? Mediis pugna aspera surgit in undis,
quamquam essent pauci numeroque, et corpore nudi.
Hic mulier bona missilibus, longeque sagitta
fallente, ex nostris unum confodit acuta
cuspide stridentis teli, qui protinus ictu
trajectus calido foedavit transtra cruore.
Militis interitu illa eadem laetata, recurvo
telum aliud cornu aptavit, jecitque sagittam
contra alium, quem tunc transfixit arundine jacta.
Hos inter, ni fallor, erat regina, puerque
regius aspectu torvo, namque illa ferox gens
his assurgebant solis, moremque gerebant.
Videre ut nostri sese in discrimine tanto,
unanimes potius volverunt cominus illis
tunc conferre manus, quam longe occumbere jactis
Caribium jaculis. Mora nulla, per aequora proras
impellit clypeata cohors, subitoque suburget
illorum solida confectum ex arbore lintrem
et mersit pelago : spectabam hanc litore pugnam.
Forsitan et pugnae finem, Perenotte, requiras
extremam, breviter referam. Non obruit illos
Oceani rapida unda maris, per nota natabant
aequora et in nostros vibrabant spicula cornu
adducto, haud pavidi juvenes, pavidaeve puellae.
Ad saxum pelago tectum mox illa recepit
effera se pubes, miscens bella aspera in undis,
ut prius ; hi tandem longo in certamine victi
in nostras venere manus, telo unus acuto
Cannibalum interiit, duplicato at regia proles
vulnere anhelantem una animam diffudit in auras.
Hi ducti ad naves, vinctique, ferocia corda
non posuere tamen : non tantum in retia lapsus
saevit aper, clausive cava sub rupe leones.
Hujus pertaesi pugnae, tunc litore funes
solvimus, et Caribum terram exsecramur, et aequor,
nostrorum ob caedem maesti, resonoque volamus
Oceano aeratis confisi curribus aura
nimborum impulsis valida ; sic cetera pubes
insequitur laxisque fretum proscindit habenis
non horrens pelagus, non procurrentia saxa
in mare, nec tumido spirantia flamina ponto.
Sub lucem passim multas per marmora terras,
in morem Cycladum, sero sub vespere vidi,
quarum aliae plenae arboribus a vertice summo
montis erant, usque ad procurvi litoris oram,
plenae et erant aliae passim beneolentibus herbis.
Parte alia ad caeli tollebant sidera sese
saxosi montes, rubro varioque colore
conspicui, atque oculis grati. Nos sistere classem
et capere his portum terris vetuere frequentes
difficilesque maris scopuli, turbataque circum
aequora, et inspersum spumosa aspergine litus.
Aspera erat facies atque intractabilis unda
latrantis pelagi, secum intolerabilis Auster
et foedam tempestatem, nimbosque ferebat.
Hujus tam vasti tractus rapidique profundi

in medio Burichena jacet circumdata latis
litoribus ; non his terris nemora ardua desunt.
Sunt illic magni portus, quamquam incola pontum
non tranet, sed sit domibus contentus avitis.
Infensae sunt hae gentes, et litora cunctis
Cannibalis, finesque suos tutantur ab hoste,
victores et saepe domum sueta arma reportant.
Captivos lacerant, flammis torrentque vorantque,
eliduntque oculos sociis spectantibus ambos.
Oppidaque aggeribus, fossaque, et flumine cingunt.
Tunc nostri trabe descendunt, fontisque liquores,
celsaque tecta adeunt : montes fugit omnis in altos
agricola et vacuas sedes custode relinquit.
Hic Burichena suum regem (ceu numen) honorat.
Sub noctem geminae indigenae furtim et puer ore
egregius fugere simul, tacitique natarunt
marmora, quos olim eripui de compede dura
et manibus Caribum, et patriam petire, suosque,
tantus amor erat his patrias invisere terras,
quamvis Cannibalum adventus atque arma timerent.
Nos tandem fessi servata classe tenemus
primam Quiqueiae terram revoluta per alta,
atque antennarum sublimia cornua nautae
funibus intendunt, pelagique ad caerula proras
obvertunt, mox exponunt equitesque virosque
pontibus, et primis ducibus comitatus ad altum
accessi collem, ut socios arcemque viderem
Xamana in regione, maris prope litora vasti.
Quid referam ? Constructae arcis vestigia nulla
apparent, non agger erat, non vallus, at arcis
relliquias ingens cineris celabat acervus.
Descendunt armati equites, peditumque manipli,
litoreosque tenent portus ; petit ardua miles
terrarum et positas altis in rupibus arces.
Aerea personuit vicinos machina montes,
convallesque cavas, sonituque impleverat oras
litoreas frustra, namque incola traxerat omnes
ad letum Hispanos, flammisque involverat arcem.
Hic Guacanarilli vectus prope litora lembo
per mare germanus regis tunc nomine binas
detulit ex solido statuas auro mihi, sed tunc
non potui seriem facti, non noscere causam,
interpres quia nullus erat, nam de tribus unum
ex illis abiens, quos mecum per mare vexi,
ultro dimisi, patriam petiere natando
furtim alii, cum nigra tegit nox aethera et aequor.
Haec animo sedit sententia, mittere certos
decrevi ad regem subito, ut causamque modumque
diceret, excidiumque arcis, stragemque meorum.
Ut vero rediere viri, tunc unus in ipso
litore stans tumulo flavae sic coepit arenae :
"Et si ficta reor, quae rex mihi Guacanarillus
dixerit, hoc regis dictum nam Fama refellit
in cunctis vulgata locis, quos circuit ingens
insula, at ipse tamen referam, quae dixerit ille.
Aurato rex in thalamo stratisque jacebat
vulnere se simulans aegrum, cui crura pedesque
caerula multiplici cingebant vincula nodo.

Hic mihi tunc fandi postquam est data copia, regem
alloquor atque equites narro, peditumque phalangas
venisse et nostram tetigisse haec litora classem ;
succensaeque arcis causam, seriemque rogabam.
Tunc rex : "Hanc classem non me adventasse latebat,
venissemque volens ad litus, ni mea quondam
crura gravi bello fixisset cuspide telum.
Eversaeque arcis memorabo ex ordine causam,
quam petis. Haec multos (ut scis) habet insula reges,
uberibus late regnis populisque potentes,
qui postquam audivere meis consistere terris
puppibus advectas gentes, armisque tenere
litora, molirique urbes, atque oppida valle
munire, et totum sua sub juga mittere pontum,
exarsere graves animis concordibus irae.
Audivere etiam peditum liquisse cohortem
arce nova et secum raptas abducere praedas
Christophorum, inque oras ratibus rediisse superbas,
Quiqueiaeque novas in regna reducere gentes
vere novo, cum se partu terra alma resolvet."
Tunc super his commoti animi mentesque duorum
sunt regum, bellumque parant inferre relictis
gentibus, et positam convellere funditus arcem :
dant alii auxilium reges, suaque agmina mittunt.
Procedunt instructae acies et ad aequora tendunt,
nec mora litoribus nostris bina agmina regum :
apparent dextraque sudes, laevaque pharetras,
tela inimica gerunt atque arcem milite cingunt.
Postquam aures allapsa meas est nuntia Fama,
accessi subito multis cum millibus arcem
incoeptisque viros suasi desistere et arma
ponere, et hanc gentem redituram ad litora dixi
"Magna equitum peditumque manu, sic nam fore nostri
jam cecinere Cemes, sed nil mea verba, precesque,
nil monitus valuere deum. Tunc lampada jecit
ardentem rex longaevus, quae jacta perussit
frondea tecta domus tabulataque proxima turri.
Tunc celer insequitur juvenum facto agmine nimbus,
connexisque parant trabibus convellere vallum.
At parte ex alia juvenum globus arma manusque
expediunt, late sonitum dat stridula cornus,
missile telum alii rapiunt : it clamor ad auras,
accensasque faces flammis ad moenia portant,
invaduntque novam longis hastilibus arcem.
Hispanam volui gentem defendere vallo
inclusam et ferre auxilium, meaque agmina contra
opposui pugnantem aciem, flammasque ferentem.
Tendebam per castra manus, tristisque profabar :
"Arma inhibete duces, irasque remittite reges,
parcite et hanc arcem flammis dare, parcite, quaeso,
militibus, vos triste manet sub sidere veris
supplicium ; accedet nostrum gens advena litus,
et nostras exuret opes, fundoque revellet
montibus impositas urbes ; migrabimus omnes
extorres patria amissa, rebusque relictis."
Sed dum per medios ignes mediamque ferebar
structam aciem, numero tamen et bellantibus impar,
vulnere crudeli suras transfixit arundo :

restat adhuc parvum laeso sub poplite vulnus.
Me lapsum famuli accipiunt, humerisque reportant
ad litus, sed me ut cedentem ex agmine reges
videre, incingunt duplicatis moenia flammis.
Tunc miles furit et tectis incendia miscet,
atque arcem, inclusosque viros involvit in ignes.
Testor amicitiam sancitaque foedera quondam,
et patrios Cemes, me non potuisse tueri
commissam hanc gentem fidei et nova moenia nostrae.
Responsa audistis proceres, audistis inanes
nectentem regem causas, incendiaque arcis."
Protinus ulcisci socios ipsumque volebam
perjurum iratus violata ob foedera regem
perdere, sed trepido timui ne regna tumultu
et populorum animos turbarem rege perempto.
Ad Guacanarilli montanas mittitur aedes
Melchior, haec eadem qui rettulit omnia, quae jam
dixerat interpres : regem nam viderat alto
porrectum lecto, nec laesum crura sagitta,
regali at thalamo simulata mente jacentem.
Ad me blanditiis hic regem duxit, et illum
dimisi, ut patriam ad propriam, sedesque rediret,
quem mulier facie insignis formaque per aequor
undosum, cum septem aliis, confisa lacertis
est Guacanarillum sub opaca nocte secuta.
Melchior interea legeret dum curva Quiqueiae
litora, militibus multis comitatus, ut ipsum
quaereret huc illuc fugientem per juga regem,
invenit portum procurvum et navibus aptum,
cum pelago incumbit pennis niger Auster aquosis.
Cingebant summi hunc colles, quibus unda silebat
clausa, nec iratum pelagus, ventosque timebat.
Hic adeo est portus curvum falcatus in arcum,
quo postquam ingressus fueris mediumque tenebis
navigio, dextra quamvis flectasve sinistra,
at facile haud poteris quaerens cognoscere primum
hic aditum, quamvis conjunctis frontibus intrent
tergeminae has fauces nullo discrimine puppes.
Inque sinu medio montis scaena ardua celsis
tollit se arboribus densisque : hic psittacus alas
depictus varias atque Indis corpore major
pervolitat, repetitque avium per guttura cantus,
hic dulci nemorosa canunt aviaria voce.
In portum duo decurrent sat magna fluenta
et varios ducunt secum ad maris aequora pisces :
ipse etiam pelagi gentes, squamosa propago,
flumineis subeunt lymphis, gratoque recessu,
insano laticis capti fluvialis amore.
Decrevi ipse urbem sublimi in colle secundum
hunc portum (namque aptus erat locus his satis urbi)
condere : silva hic alta trabes, vicinaque rupes
saxa ministrabat. Juxta hunc longissima montem
planities et lata satis, quam plura fluenta
parvula et alta rigant, aurumque in caerula ducunt.
Ipse autem hunc portum regalem nomine dixi.
Vestigare viros circum vaga flumina et urbes,
ductores valido certos cum milite misi :
Hoiedas hos inter, Corlanus et alta propago,

ante acies dextra, atque animis praestantibus ambo.
Quattuor horum alter demonstrat flumina et alter
parte alia tria conspexit labentia ab ipsis
montibus, auratis longe radiantia arenis :
legerunt ciceris non pauca leguminis instar
grana auri comites, majoraque legit Hoiedas.
Mons erat haud longe a portu, quo condere castrum
institui, coepique domos attollere saxis,
atque magis tribus erexi, statuique sacellum.
Hic ubi decurrunt immixtis flumina arenis
et lento, nitidoque auro, nec copia parva est,
castrum aliud posui dictum de nomine Thomae.
Atque peragrata Cibavo laetus ad urbem
mox Isabellam redii, cum jucundum ver
et tepidi crescunt soles. Tunc fratre relicto,
cui summam volui rerum, cui credere classem,
assueto et bellis jampridem Margaritaeo,
quos jussi circum positas perquirere terras,
et subito inventas communi subdere regi.
Tendo iter ad Cubam cum terna puppe per aequor,
ne forte imperio premeret ratis advena terras,
oppidaque, regnumque novum, gentesque repertas,
Oceanique meis inventum puppibus aequor.
Deserimus socias naves, maestique volamus
per mare, er aspirant animosis flatibus Euri.
Sub lucem nitidi solis sese mihi portus
ostentat, scopuli incurvo quem murice cingunt
ingentes, vastique maris silet unda refusi :
Nicoleo divi hunc portum de nomine dixi,
spectantem longe ditissima litora Cubae,
sed latus accessi Cubae, qua spectat ad Austros ;
Maitii apparet tantum Jamaica dives,
hortorumque simul vario laetissima cultu.
Unum habet in medio sublimi haec insula montem
vertice, qui latis tangit radicibus aequor
et sese circum nemoroso a litore tollens
paulatim molli ascensu se attollit ad auras,
et media excelsum monstrat tellure cacumen,
unde licet spectare rates sua tecta petentes,
quae celso imposuere jugo ; quotiensque feroces
Cannibali hos turbant, subito de vertice currunt
incurruntque, alacresque ineunt in litore pugnas,
nam semper cum Cannibalis bella aspera ducunt.
Hanc gens dura colit, longoque exercita bello
hostiles contra incursus, contraque Quiqueiae
finitimos. Volui fessam ter sistere classem
litore jam capto, classem ter reppulit hostis,
et loca nota tenent, opponuntque agmina nostris
puppibus. Adprensa tandem tellure, ruentem
ad litus turbam aggredior, quae nescia cuiquam
terga dare a patria nostros pellebat arena.
Pacati sunt tandem animi pressique tumultus,
visurique novas gentes ad litora currunt.
Linquimus hanc etiam terram, solemque secuti
occiduas versus terras currentia vidi
torrentis fluvii in morem freta fata, sinusque
innumeros, centum et sparsas per caerula terras.
Dum vero impellunt a tergo flamina puppes,

sub noctis tenebras, Cubae nos accipit ingens
iridis in faciem portus atque unda silentis
Oceani, quem ferventi tutantur ab aestu
aequoris et magno ventorum a turbine colles
hinc atque hinc stantes, quo nos subsistere visum est.
Protinus optatam in terram descendimus omnes,
intramusque domos non longe a litore binas,
in quibus innumeros pisces ardente videmus
impositos pruna aut transfixos corpora vallis.
Accedo propius silvam, quae fronde virenti
vicinas aedes scopulis litusque tegebat,
qua nexos vidi ramis frondentibus angues
atque adstricta alios conspexi funibus ora,
avulsos alii dentes (nec fallor) habebant.
Serpentes alit horribiles haec insula, qui non
immittunt membris hominum letale venenum,
aut tactu, morsuve truci, torvoque ferinoque
aspectu sunt, et vario sunt membra colore.
Hi pelagus terramque colunt, silvisque vagantur,
pomisque ingluviem atque herbis beneolentibus explent,
bisque decem interdum (dictu mirabile) soles,
nec potant, solitumque cibum, nec gramina carpunt.
Regale hoc epulum est : hos frusta in parvula sectos
infingunt verubus, domibusque epulantur avitis.
Dum vero positis in litore vescimur omnes
piscibus, aufugere viri, sed Didacus illos
accedens linguam edoctus moresque Quiqueiae,
ad nos deduxit, dedimus queis plurima dona.
Insula Cuba tenet mores, quos ipsa Quiqueia,
et lunam, solemque colit, similemque relinquit
haeredem, et fruges similes projectat in arvis.
Ingenio felix est gens, et mitis, et expers
armorum, sua rura colunt, cupidique videre
advectas nuper longinqua per aequora gentes,
descendunt puppesque petunt, secumque canistris
vimineis portant epulas, lymphamque ministrant ;
nosque etiam fessos descendere navibus orant.
Consita erant passim densis haec litora et altis
arboribus, patrios fructos quae ferre solebant.
Litore in hoc adeo calidarum est flumen aquarum
vix ut fumantes possit contingere lymphas
ipsa manus ; longo hic se fundit in aequora tractu,
at procul ingenti fumant freta salsa calore
ferventes nec erat tutum transire per undas,
qua late involvebat aquis se fumidus amnis.
Jamque die nitidus ducebat Lucifer ore
purpureo, et luce infusa fulgebat Olympus,
cum nostri videre ratem, qua per mare pisces
captabant nudi nautae : tunc cominus illos
aggredimur levibus vicina per aequora cymbis.
Intrepidi nos exspectant, gaudentque profundo
Oceani ignotas illis spectare carinas.
Illi etenim utuntur nulla compage phaselis
intextis, solido atque uno sed robore, et undas
sulcant remorum valido tantum agmine freti :
non illis velorum usus, non nautica noscunt
arma ratis, non astra polo surgentia servant.
Vim nullam intulimus nautis piscantibus alto,

sed tibi nunc mirum dicam, dignumque relatu :
hic piscis salsa est clarus venator in unda
Quiqueiae, necnon vastae circa aequora Cubae,
anguillae similis nostrae, sed corpore major,
et facie informi, nostris non notus in oris.
Hic pisces insectatur, veluti canis acer
errantes capreas campisque et montibus altis,
multiplices cujus squamae certo ordine corpus
permixtae spinis armant, veluti rubus asper.
Hunc Guaicanum appellat gens incola piscem :
pellem habet hoc monstrum summa in cervice supraque
squallentes humeros, supra et squallentia colla.
Piscator trahit hunc intorto fune revinctum
obstrictumque ratis lateri, patriisque sub undis
pabula captivo noctesque diesque ministrat ;
affixa est laevo lateri nam lignea sedes,
quam colit aequoreas cum volvit turbidus undas
Auster, et ex alto cadit imber, et Eurus arenas
attollit supra scopulos : tunc sueta sub alto
fornice tecta habitat, tutusque quiescit in undis.
Luce nova piscosa tenet loca nauta profundi
et secum ducit vinctum per caerula piscem,
atque ubi squamosam prolem per marmora cernit
demittit subito funem ; tunc ille per aequor,
ceu liber vinclis, graditur, secumque rudentem
ducit, et errantem sequitur per caerula praedam :
sic contra ruit hos animis et robore fidens.
Impositam dorso pellem mox explicat omnem,
implicat et piscem conjecta pelle, capitque
intrepidus, spinisque ferit (nam carcere nigro
hunc frenat). Tunc nauta vigil de gurgite funem
paulatim trahit ad litus, captosque sub undis
luctantes simul adducit, sed cum prope litus
accessit nova praeda, levi piscator in altum
dat sese celerans saltu, turbamque per aequor
sustinet ; accurrunt comites, pariterque labori
succedunt, at piscis ovans captiva tenaci
corpora rete tenet semper, semperque teneret
impavidus, patrio dum viveret aequore, sed cum
caelum haurit pellem laxat, piscesque relinquit,
et celer aequoreis mox sese fluctibus abdit.
Ille etenim caelum hoc nostrum, non aera nostrum
ferre potest, ideo nautae piscem aequora supra
tollunt, ut clausam linquat viso aere gentem.
Saepe etiam varios glomerato examine pisces
insidiis capit, et visa testudine contra
tendit iter, nam dum placido nova pabula quaerit
concha mari, tenet ora suae non praescia mortis
exserta, et nullas pascens timet aequore fraudes.
Hic piscis maria alta colit, piscator et omnis
unum habet, facilisque unda quaerentibus ille est.
Quattuor hi conchas nobis, piscesque dederunt,
nos illis contra dedimus gratissima dona.
Pandimus has inter dum vero lintea terras,
indigenae ruere ad ponti cava litora gentes,
et panem, et fructus, et secum ferre volucres ;
intentique oculis nostras mirarier alnos,
dicere et e caelo nos descendisse supremo.

Insula sese etiam tractu tollebat eodem,
qua vidi tantum sinuosa ad litora torvo
aspectu turpique canes, quos educat illa
barbara gens, illosque neci demittit, et exta,
cunctaque membra coquit, mensisque epulatur avitis,
et consanguineas vocat ad convivia gentes.
Hos referunt sine latratus componere soles :
vidi ego verberibus domitum non edere vocem,
non gemitus, non latratus, dum linqueret auras
vitales tandem sub fuste et verbere torto.
Sed dum sulcarem has inter rapida aequora terras,
ingredior multas non tuto in gurgite fauces
angusti maris : hic poterat non navita retro
vertere cunctantes jam fesso remige puppes.
Pontus erat nive candidior, sparsusque recenti
lacte videbatur passim candescere fluctus.
Luna tenebat iter medium sublimis Olympi,
cum maris intravit scopulos prope litora tendens
puppis iter Zephyrisque legens felicibus oras.
Dumque darem Cubae turgentia vela per undas,
mons procul ostentat sese densissimus umbris :
hunc fessi petimus montem, silvisque subimus
umbriferis, quarum summo de vertice fontes
surgebant raucoque sono vada salsa petebant.
Hic pinus sese in caelum pulcherrima tollit
palmaque summa petit caeli convexa flagellis.
Tunc nautae ingressi silvas ligna arida ferro
scindebant, liquidisque implebant fontibus urnas.
Transirem has inter sed dum freta concita terras,
hic miles captare feras assuetus opacam
est silvam ingressus, vidit qui vestibus albis
indutos homines usque ad vestigia : qui tunc
vertit iter, meque admonuit vidisse togatam
hoc nemore aerio gentem. Tunc laetus in altam
immisi silvam selecto ex ordine certos,
qui nemus umbrosum transgressi haud tendere gressus
incoeptos potuere ultra, namque herba tegebat
plurima planitiem camporum aditumque vetabat.
Tunc subito rediit miles, rediensque ferarum
grandia conspexit vestigia tramite in alto,
percussusque metu mentem rediit celer ad nos.
Parte alia silvam ingentem fragantia versus
litora conspexi, quam vitis plurimus ambit
pampinus, innectitque comas, ramosque virentes.
Litus ad Hesperium tali de vite racemos
attulimus succo gravidos, dulcique sapore.
Atque grues magnas per pascua florea vidi.
Hos tractus regionis aquae obduxere palustres,
in quibus ad litus conchylia lucida vidi.
At dum vela Notus tendit flatuque secundo
aspirat nostris ratibus, procul ardua nautae
culmina terrarum aspiciunt, lucosque sonantes ;
vertimus huc laeti puppes, qua vasta secundum
aequora se geminae tollebant rupibus aedes :
his domibus vir solus erat, confectus et aevo
et macie, et nulla velutus corpora veste.
Hunc ducunt propere ad naves et ad aequora, quem mox
Didacus interpres dictis compellat amicis

et fari hortatur, cui sint haec subdita regno
litora, quaeve habitent trans montis culmina gentes,
sed captus non dicta capit, nec percipit aure.
Ille tamen montem hunc ultra signisque manuque
monstrabat populum esse alium, regemque potentem,
qui sese indueret diversis vestibus, ut nos.
Tunc cupidi versus juga celsa ratesque sinusque
dirigimus primae solventes tempore lucis.
Dumque maris molimur iter per caerula, centum
occurrunt nobis lintres, signisque salutant,
miranturque novas puppes, habitumque, virosque
armatos, ostroque duces auroque nitentes.
Hoc etiam tractu longo conchylia multa,
quae baccas gignunt limoso in litore vidi.
Me tenuit mora nulla loco, sed protinus ultra
progredior : nec erat rupes, nec culmen in ipso
litore, fumiferos quod non effunderet ignes.
Dum legimus scopulos latebrosaque saxa sub undis,
et quae spectabant Austrum et quae litus Eoum,
tercentum positae sinuoso in marmore terrae
apparent, densis spectandae frondibus omnes.
Invitus tandem convertere lintea cogor,
namque omnis vario ventorum turbine puppis
victa erat, et comites fessi, et fracta omnia nostra
arma ratis longum ob cursum et cava litora Cubae ;
tardaque classis erat, quae jam mare lassa vadosum
presserat et laxis acceperat aequora rimis,
panis et Oceani emensis corruptus ab undis
nauticus, atque omnis rerum jam navita fessus.
Mons erat ante oculos rapide praeruptus aquai,
ut me tunc positum conspexi in limine leti,
sustuli ad alta oculos supera et sic voce Parentem
Unigenae Christi lacrimis sum fatus obortis :
"Dum nos hac classe exigua freta mota tenemus,
Davidica o proles Virgo, qua clarius ullum
lumen, nec terrae, nec habent celsa atria caeli,
heu, quianam tanti disjecta per aequora Cauri
proelia concurrunt inter se, haud ipse ego possem
solvere me his rapidis (nisi me Deus adjuvet) undis ?
Respice nos, audique preces. Non (te duce) Syrtes
aut Maleae horrendas cautes, fluctusque timebo."
Deinde ferit tumidum contis mare nautica pubes,
nec curat venturam hiemem, ventosque procaces.
Haud longum in medio tempus freta mota quierunt
et circumstrati fluctus, Zephyrique resedit
spiritus et caelo tempestas clara refulsit.
Tunc meme ad socios vertens, sic sum ore locutos :
"Vidistis maris insidias, murmurque minasque,
ingeminare Notos, piceamque insurgere noctem,
mox posuisse Notos, pacataque murmura ponti,
et lucem Oceano et terris rediisse serenam.
Sint quamvis sine nube dies, sine flamine noctes,
attamen haec non fraude carent, nec credere nautis
huic monstro sese tutum est, nec lenibus undis."
Sed dum nimborum crebescere proelia sensi,
ipse sinum obliquo spirantia flamina contra
et nautae subigunt remis fera per freta puppes :
uncta natat pinus, quamquam esset fessa profundo.

Dum redeo, Boreas me vexit in aequora magnis
plena adeo testudinibus ut navita cursum
flectere non posset magna sine mole retrorsum ;
has fauces tandem evasi, mox aequoris alti
ingentem tractum ingredior, qui gurgite ab imo
Scythonia magis albus erat nive lacteque puro,
et passim niveis spumabant fluctibus undae.
Ipse gubernator, metuens vada prona, propinquum
contorsit proram ad litus, qua venerat, et qua
non spirant vada, nec scopulis immurmurat aequor.
Et (mirum) nobis Cubae venit obvia pubes
(nam nullos mea gens populos turbaverat armis)
plurima dona ferens ad navem laeta, palumbesque
ingentes, quorum spirabat guttur odores
Assyrios : nos tunc accepto munere laeti
vela damus. Quos et quondam metus acer agebat
in montes agitare fugam, nemorumque latebris
abdere se, nunc ad naves et ad ipsa ruebant
sponte vada, et nostrae gratissima munera classi
portabant ; panem et lympham, viridesque volucres,
et varios fructus quos tellus illa ferebat.
Hanc gentes quae tunc habitabant litoris oram
quod rectum est servant, vivunt sine legibus ullis,
indice non illis opus est ; hi turpia damna
non norunt, ullive novas intendere lites.
Omnia sunt illis communia gentibus, ut sol
et luna est, atque arva colunt quantum indiget usus,
nec quisquam servat sua praedia : multa supersunt
jugera, queis illic committere semina possent.
Non habet haec regio felix regemve, tyrannumve,
aut civem vitas et crimina castigantem.
Oppida non cingunt muris, non saepibus arva,
maitiumque colunt tantum, juccasque agiesque.
Hinc ego digrediens iterum rediturus easdem
in partes sub casum hiemis, placido feror Euro
Jamaicum ad litus, tepidum qua spectat ad Austrum,
et latera illius vidi, et nemora ardua longe,
et passim virides hortos beneolentiaque arva :
auriferaeque illic detexi litus Haiti,
atque ignota mihi nemora, et non parva fluenta.
Ipse viam hanc alacris tranquilla per aequora inivi,
dehinc sancti portum Nicolai intramus, ibique
accepit statio fessas tutissima puppes.
Portus erat circum saxis incinctus et alto
gurgite stagnantis ponti, quo clausa silebat
unda, nec horrisonos fluctus, ventosque timebat.
Transirem autumni dum tempore litus Haiti
per maris irati rabiem perque horrida saxa,
quaerebam vigil ipse locum, quo condere possem
litore procurvo fessas cum remige puppes ;
me Deus interea haud liquit, dum solis in ortu
aspexi terram, quae respondebat Haiti
litoribus curvis contra, quam nomine dicunt
Adamanam indigenae : validis has inter utrasque
deferor impulsus ventis, ubi nocte sequenti
passa suo de more graves est luna labores.
Tempestate eadem quinque horas atque trientem
cognovi Gades inter differre, marisque

quos ego sulcabam, abrupto cum sidere, fluctus,
turbati quae causa maris fuit atque procellae.
Cete instar monstrum horrendum vada turbida tranans
venturam ob tempestatem, nec habere receptus
jam tutos poterat, ponto se immiscuit atro.
Tunc ego me in portus penetralia et in cava saxa
addideram multos soles sed post ubi vidi
pacatum pelagus direxi carbasa versus
optatos portus, speratae et litus Haiti.
Hic ubi germanumque meum, comitesque, ratesque
inveni incolumes, populum et parere volentem,
atque novam struere est visum hoc tunc litore puppem,
quassatasque Notis aliquot sarcire carinas.
Miles tela novat, discissaque carbasa nautae,
cum gravis autumnus silvis ponebat et arvis
innumeros latis foetus. Reditumque parabam
Cannibalum in terras, ut possem exurere sedes
illorumque rates flammis, et perdere ferro,
vicinasque illis gentes, populumque timore
solvere finitimum, sed enim gravis occupat ossa
morbus ob insomnes tot ductas per mare noctes.
Semianimisque dehinc Isabellae vectus ad urbem.
Me leto tandem eripui, rursusque redire
vinique, frugumque, oleique coegit egestas
litus ad Hispanum, namque illis navita noster
non poterat milesque cibis assuescere, quos fert
insula : ad Hispanum decrevi tendere litus,
evenere mihi sed quae prius ordine dicam.
Nos urbes geminas populi ut fundasse, novasque
aedificare domos videre et tollere caelo,
cingere et ingenti fossa et circumdare vallo,
et premere imperio terras atque aequora circum,
confestim exarsere animis, petiereque castrum
unanimes divi Thomae cum milite multo,
vallaruntque nova muros fossa atque corona.
Cujus erat dominus tunc rex Caunoboa, gentesque
illius mensem totum obsidione tenebant,
haud pavidi nostros in proelia saeva vocantes,
nam castrum posui dictum de nomine Thomae
aeterno rerum domino in regione Cibavi.
Saxea sitque licet tellus, vaga flumina multo
attamen effulgent auro, cum praecipue sunt
imbribus aucta trahunt madidis de montibus aurum.
Actutum hanc arcem praecinxi caespite vivo
permixtis fruticum virgis et robore secto,
et trabibus fractae vicino in litore puppis,
ut sese posset defendere miles ab hoste
inclusus, si qua interea sors aspra fuisset,
delegique locum supremo in colle, procul qui
spectabat regionem omnem, montesque remotos.
Hanc arcem intravit bello praeclarus et armis
Margaritaeus princeps, dehinc ductor Hoiedas.
Hoc castrum indigenae se vincere posse putabant,
ut Guacanarillus quondam, qui funditus arcem
quam nostrae fecere manus delevit et igni
tradidit, et nostros vita spoliavit. Adessent
cum pauci, et rex rupisset foedusque fidemque.
Sed cum coepisset magnum increbescere murmur,

obsidione premi nostros in monte Cibavi,
armari pedites jussi, lectamque cohortem
infrenare leves currus. Tunc cornua rauco
clangore instrepuere cavum per inane, frementesque
alipedes in bella movent, graviterque juventus
saevit ob obscuro socios in carcere clausos.
Mox iter arripuere duces nullo ordine, sed cum
hac gentes videre procul volitantia signa,
deseruere locum et montes petiere supremos.
Hoiedas, cui credideram nova moenia castri,
jam liber certos duxit, certosque reliquit,
qui curam gererent arcis ; mox obvius illis
processit, qui subsidio sub nocte serena
ibant ; tunc acies junctae quaeque obvia morti
corpora dant. Mox Hoiedas se contulit ad nos
et totam seriem facti, remque ordine dixit.
Illum ad Caunoboam decrevi mittere regem,
ulterius bello ut nollet contendere mecum,
suaderetque illi injustis discedere ab armis,
inter nos coeant potius sed foedera pacis.
Dumque moram traheret rex in regione Cibavi,
missi etiam legati aderant mandata ferentes
ad regem, ut gentem sumptis detruderet armis,
quae duro imperio circum sua regna tenebant,
quorum unus regem alloquitur : "Rex inclyte, tu nunc
nonne vides gentem hanc nostras subjungere terras
imperiis ausam, et tot vectigalia numquam
his nostris audita locis imponere, circumque
aequoreos alias sub leges mittere tractus,
condere et his nostris etiam nova moenia terris ?
Illorum tanta est animis innata cupido
rumpere tranquillam pacem et longa otia, nosque
cogere servitio, et duro parere tyranno.
Quin etiam (heu facinus) nostros infringere dicunt
velle deos sese penitusque abolere, parantque
ipsorum sacras avertere protinus aedes.
Agricolae infindunt patrios non amplius agros,
maitiique solo non mandant semina, et aurum
impulsi inquirunt per terrae viscera tantum
(pro dolor), unde fames nostris regionibus orta est.
Quid referam ? Uxores nostras rapuere parentum
e manibus gremiisque, fuit non tuta jugales
nondum experta toros virgo, praedaque recenti
ducti et avaritia sese involvere rapinis.
Matresque et consanguineos, abductaque furtim
pignora ab insolito miserescere milite deflent.
Ne dubita, cuncti venient in foedera reges
finitimi, sparsae circum hoc toto aequore terrae,
auxilioque omnes venient. Rem nunc tibi dicam,
quam forsan minime reris, gens aspera bello
atque a stirpe genus durum ; hoc immitte licet nunc
sit nobis regnisque aliis, tamen arma capesset
hos contra, cum nos victos aliosque videbunt,
illud idem tecum facient, quos saevus aperto
advena hic insequitur bello, terraque marique.
Auxilioque aderit nota insula Madanino,
quam Caribum uxores habitant, gens effera sumptis
arcubus et jaculis, ullos quae non timet hostes,

adversaque acie pugnans non vulnera vitat :
tendit in hostiles eadem quot tela phalangas,
impia contento tot vulnera dirigit arcu."
Talia vociferans, cunctis mirantibus, aulam
orator strepitu ingenti fremituque replevit,
impulit et capere arma, locumque involvere flammis.
Parte alia Hoiedas suadebat foedera regi
jungere, amicitiamque novam cum Rege potentis
Hesperiae, poterat solus qui vincere gentes
occiduas, ne dum hos populos, quorum otia tantum
delectant muliebrem animum, non bellica virtus,
verborumque memor sit rex, quae plurima Cemes
jam cecinere sui. Stabat velut ardua cedrus
in Libano sita, quam Boreae fera verbera flectunt
huc illuc, coguntque comas contingere terram
interdum, lapsasque ferunt per inania frondes.
Blanditiis tandem atque astu deduxit Hoiedas
ad me Caunoboam regem, qui post ubi captum
se vidit, animum varias convertit ad artes,
conscius ipse sibi sceleris, nam fortia leto
viginti dederat nostrorum corpora nuper.
Non aliter frendet, quam lapsa in retia tigris,
quae modo vi propria, modo dentibus et modo aduncis
unguibus, aut astu perrumpere vincula tendit.
Admonet et fratrem collectas ducere gentes
in bellum : mora nulla vocat germanus in arma
subjectos regi populos, vicinaque cogit
auxilia, et vastant cultoribus arva remotis.
Horridus ante aciem in jaculis, vultuque minaci
Caunoboae germanus erat, nec terruit illum
armorum longe fulgor, sonitusque tubarum.
Hic gentes in quinque acies diviserat, et dux
expertus bello pugnas de more ciebat,
Atque instigabat laetis clamoribus alas,
opposuitque suas contra agmina nostra cohortes,
stans medius. Cernens Hoiedas tutius esse
laevam aciem nostris armis invadere, aperto
agminibus quam tot junctis concurrere bello,
dehinc dubius stetit an primum prosternere nodum
an dextrum vellet peditum, cornuve sinistrum
immissis turbaret equis, ceu saeva leaena,
quae videt in specula silvis errare juvencos,
parte alia gregibus permixtos carpere gramen
intonsum cernit subter memora ardua tauros ;
illa animum rapit huc illuc, an florea cursu
prata petat, laceretque gregem, pariterque juvencos
invadat, dubia : in tauros resoluta feroces
vertit iter. Sic Hoiedas cum milite lecto
aggressus cuneum est dextrum, nam dehinc ubi vidit
illorum ductor, princepsque expertus, Hoiedam
fulgentem phaleris, flammasque umbone vomentem
et galea, secumque metum, strepitusque ferentem
ignibus immixtos, et equo clypeata regentem
agmina, non aliter pugna perterritus haesit,
quam lupus, Atlantis sequitur dum per juga tauros,
aeria longe spectans de rupe leonem
perfusum latos humeros atque ora cruore :
olli animus subito injecta formidine torpet,

nec versare dolos audet nec fidere cursu,
non animis contra ire cupit. Verum ille ubi vidit
jactum intra teli pugnam adventare, remissis
tunc loris equitum erupit clamore, et equorum
pectoribus stravit pugnantum pectora cursu,
et belli nodo, laeva de parte, timorem
immisit. Fugere alii per prata, cavasque
per rupes tenuere viam, pacemque petebant.
Ductorem belli captivum duxit Hoiedas.
Accidit et nostris sors haec adversa carinis,
impediit quae classis iter, nam sideris ortu
sub Cancri Eoo surgens de cardine venit
turbo ingens, qui praeruptis radicibus imis
evertit, stravitque solo, et nemora ardua longe
planitiem in latam traxit, piceasque procellas,
et tumido fluctu radiantia sidera tinxit,
immersitque rates undis, et vincula rupit ;
namque mare in terram irrupit cum turbine vasto,
Quiqueiae et pariter litus, vicinaque ponto
proluit arva, domosque maris devexit ad undas.
Jamque fere amissis ratibus in gurgite, tristes
pectore volvebam curas : hinc bella premebant
Cannibalum, hinc tanto quassatae a turbine puppes,
hinc fessi comites, illinc penuria rerum.
Haec animis potior nobis sententia surgit :
jussi ego tunc subito geminas aptare carinas
atque rates refici, perfractaque transtra novari.
Certatim socii incumbunt et in aequora classem
deducunt, Taurus cum sese attollere caelo
inciperet. Nos exorto jam sole tenemus
aequoreos cursus ratibus, sed fratre relicto,
qui late regeret populos, et quem penes esset
imperium maris Oceani, atque exercitus omnis.
Ducebam mecum hos geminos per caerula reges ;
hi, testes mihi sunt proceres, quos non mala febris
corripuit, non morbus edax maerentia pressit
corpora, sed miseros dolor ingens abstulit, ut se
viderunt duci captos ad regna potentis
Hesperiae, quam dives aquis fecundat Iberus.
Adversa redii sine tempestate remenso
aequore ad optatos portus ; solita urbe morantem
inveni propere regem. Rex protinus armis
instructas octo puppes, atque aera, manumque
lectam hominum, vinique cados, frugesque ministrat.
Atque illas solvens Hispano e litore tandem
deveni exiguam tota cum classe Maderam,
et misi ad fratrem naves, mala et aspera sed sors
Quiqueiae nobis inimicas detulit oras,
Roldanus quas et socii dicione tenebant.

# DE NAVIGATIONE CHRISTOPH. COLUMBI LIBER TERTIUS.

N_3

Inde ego digrediens ternis cum puppibus aequor
ingredior maris ; hic sparsas per caerula terras
invenio, quas Hesperidas coluisse superstes
fama refert : has infectas vitio aeris oras
effugimus densaque simul caligine caelum.
Dehinc testudinibus plenum tandem ad mare veni,
applicuique rates vicini ad litoris oram,
quod gentes habitant diversa per aequora vectae,
quas scabies mala pertentat, quam sanguine largo
et gelido illarum tingunt, niveumque colorem,
invisamque luem toto de corpore pellunt ;
has solum mandunt aegri, dum corpora curant.
Insula non longe posita est, quae vertice ab alto
et circum latera et circum juga celsa ruebat
ignitos caeli rapido cum turbine tractus,
cum spirant contra validi de partibus Euri
et cava percurrunt immissis flatibus antra,
ardentesque globos flammarum ad sidera volvit
sulfureo immixtos fumo atque bituminis aura :
non secus Aetna solet luce exspirare cavernis
Sicaniis volucres fumos, et noctibus ignes.
Atque viam tenuit vasti maris aerea pinus
australis, tandemque, in fervida marmora ponti
rumpimus. Hic calor austrinus membra, ossa, medullasque
intrabat, nec erat requies, nam mole fluebat
corporea immundus sudor calefactus, et aer
paene ipsa urebat cava vela, gravisque carinas
vexabat fessas pelagi sine murmure fervor,
atque cados aestus scindebat et arida transtra,
navita nec poterat tantos perferre calores.
Et tunc tempus erat, quo messor laetus aristas
colligit, et late Cancri sub sideris ortu
aestuat omnis ager, campique ardore dehiscunt.
Interea hic octo soles, sine flatibus ullis
ventorum, placidus tanto in discrimine pontus
oppressum me detinuit, ubi nulla salutis
spes erat, et juvit nos tunc densissima nubes,
quae texit spatium hoc ponti nostrasque biremes.
Hic ego me caelo vertens sum talia fatus :
"Eripe me his, Pater alme, malis et per mare vectum
respice in infidas Syrtes, da tendere cursus
posse ratem ad portum, tantamque evadere pestem.
Adsis, o Virgo alma, precor sanctissima, namque
in sua vota vocat te navita, cum mare fundo
aestuat et rapidi volvunt freta fervida venti,
inque fugam infesto conversus miles ab hoste
te semper vocat auxilio, silvisque viator
Luciferi insidiis hominum deprensus in ortu
alta suos tendens ad caeli sidera vultus,
latronum duce Te sperat se evadere fraudes,
unigenamque tuum, mihi qui Dominusque, Deusque,
et fuit, et mihi semper erit, ne deserat, ora."
Nec mora spirarunt Vulturni flamina, et aequor
per placidum puppis fertur, rostroque profundum
tranquillum ruit huc illuc, versusque cadentem,

qua longe montes aperit, silvamque comantem,
impello solem puppes, et verrimus undas.
Tunc noster sese vertex subducere coepit,
astrorumque alios hunc contra aspeximus ignes
atque aliam caeli faciem, quam noram ego primum
esse plagam austrinae partis, nam sidera nostris
elucent mage, temperies mitissima passim est.
Ipsa ratis vasti dorsum maris ascendebat,
haud secus ac celsum montem, sed non tamen ulla
ardua terrarum prope, vel longinqua videbam.
Tunc nos ignarique viae, trepidique calore,
protinus excutimur longinqua per aequora cursu
atque iterum sese nostris ostendere coepit
luminibus caelo vertex sublimis ab alto.
Tertia lux tandem nebulis erupit et alto
fulsit, et e nostris aestusque colorque recessit
ossibus et membris venit vigor. Inde per aequor
ignotum tentamus iter, quo marmore vasto
nulla videbatur circum se attollere tellus.
Conscendit malum Mendez ut cernere posset
eminus Oceani tractus, tunc lumina vertens
ad nos exclamat longe se cernere terram,
quae montes ternos monstrat, silvamque comantem.
Quo laeto clamore, dolor procul abfuit omnis
et solitae vires animo rediere, abiitque
pallidus ore color, nosque anxia cura reliquit.
Sed non hoc potui propter vada proxima litus
tangere, tunc illic silvas, et prata sub umbris
arboreis, et litoreo beneolentia tractu
gramina, et halantes conspexi floribus hortos.
Persequimur nostros cursus, tandemque sub ortu
aurorae et solis radiantia lumina contra
ingentem portum intramus, cum lucidus inter
signa Leo late attollit humerosque jubasque
fulgentes, et triticeas terit area messes,
agricolamque labor durus sub sole fatigat.
Portus erat prope fontis aquam, quae tramite lapso
gramineo mites undas litusque petebat.
Huc nobis visum est defessas condere puppes,
compagesque simul quassas conjungere, et arma
instaurare ratis, curare et corpora fessa.
Indigenae nulli hanc terram litusque colebant,
hisque locis novi vestigia multa ferarum.
Vicinum litus tacitis accedere remis
aspexi cymbam, quae per vada salsa vehebat
proceros membris juvenes, quibus arma sagittae,
scutaque, et arcus erant, semiustaque cuspide tela.
Longa his caesaries et non intorta fluebat
per latos effusa humeros, nigrantiaque ora.
Inguina gossipio cuncti, mixtoque colore
velabant, vittisque femur, at cetera nudi.
Ipse hos et signis et laeta voce vocabam,
queis non visa prius ostendi munera longe,
et specula hinc calybe e nitido, paterasque figuris
diversis auro pictas, varioque colore.
Aera foraminibus pertusa et concava dulces
tinnitus longe edebant strepitusque canoros ;
tincta colore rubro ramosa coralia pansis

portabant nautae manibus. Sed post ubi vidi
nescia muneribus nostris mansuescere corda,
detorsi hos contra lecto jam milite proram.
Illi autem validis conatibus impellebant
per pelagus retro lembum, nec dona putabant
nostra carere dolis, qui non cava vela ratesque
cessabant spectare oculis, atque arma, tubasque,
atque intertextas argento et murice laenas,
et longe rauca stridentia tympana voce.
Tunc ego conspiciens oblato munere me nil
proficere, hic jussi juvenes inflare cicutas
atque ebur, et cantus prora exercere vicissim,
ducere et assuetas sublimi in puppe choreas,
illorum ut sonitus animis dulcedine motis
ne fugerent. Cymbam sistunt, remisque relictis
arma manu intrepidi rapiunt, cantuque vocari
insolito sese in certamina dura putabant,
ignari sonitus litui, vocumque canentum.
Nostrorum pars tela manu, nervoque sagittas
aptabat, nec non pugnae se quisque parabat.
Hi tandem pacati animos ad litora tendunt,
descenduntque simul, sequitur quos cetera pubes
atque inter sese signis nutuque loquuntur.
Illi sed postquam rectorem accersere puppis
me dextra videre, ruunt ad litora et alnum
conscendunt veriti insidias : volat illa per undas,
quos non insequimur. Sed recto tramite vasti
prosequimur pelagi tractum, quo non procul ingens
cursus aquae liquido veniebat ab aequore, qua sol
surgit et occiduas tendit se vertere ad oras.
Invia erat nautis et non tractabilis unda,
quam tenui, et fateor toties me mille procellis
jactatum, atque in vota Deum me saepe vocasse,
qua late fervet Scyllae tumida unda sequacis,
non me vexavit tantum tamen ullus in undis
terror et indomitum mediis in Syrtibus aequor.
Ulteriusque ruens in aperta pericula, tandem
invenio immensas hoc ipso in litore fauces
ad quas ille ingens fluxus tendebat aquarum
et se condebat sinuoso hoc gurgite ponti ;
his ego navifragis decursibus ora Draconis
imposui nomen. Juxta haec jacet insula vasto
cincta mari, non illa ullis habitata colonis :
huic "Margaritae" mihi nomen ponere visum est.
Non nullos cursum tenui per marmora soles
dulcis aquae, quantoque magis, Perenotte, cadentem
carbasa vertebam ad solem, tanto magis amnis
gratus erat : tantus sese erumpebat aquarum
impetus in pelagi fluctus e faucibus alti
fluminis occurrens salsis resonantibus undis,
atque inter sese veluti certamen inibant.
Altus hic ad laevam praecelso vertice se mons
tollebat caelo, quem simius ora colebat
horrida habens nigrosque oculos, caudamque reflexam.
Nudum litus erat, nullique habitabilis ora.
Descendunt pauci in terram, qui sat bene cultos
passim agros cernunt vacuos cultore, domusque
exiguas, qui forte habitabant montibus altis.

At latere e montis laevo videre patentem
planitiem, quam nos petimus, venere sed ipsi
indigenae externas visuri ad litora gentes.
Tellurem hanc Pariam signis et voce vocari
novimus, et plenam populis, atque ubere campi ;
moribus haec facilis gens est, membrisque decora.
Quattuor indigenas mecum per caerula vexi,
ut loca vel signis circum, nutuque notarent.
His mihi non visum est Pariae considere regnis,
sed dum litoreos me velle capessere tractus
abnuerem, procul ecce ruit gens nuda carinas
visendi studio ad litus, classique propinquant
certatim innumerae scindentes marmora cymbae.
Puro colla auro ornati, gemmisque, lacertosque
armillis : petii signis quo litore baccas
totque auri massas legerent, tunc barbara pubes
per nutus responsa dabat, gemmasque repertas
atque aurum fulva inventum monstrabat arena.
Armatos ego tunc vicina ad litora misi,
qui pelago et silvis loca proxima cuncta notarent ;
horum ductor erat miles, qui vidit in orbem
constructas aedes, nigroque sedilia ligno :
ast operosa tamen portant ad litora fructus
ignotos penitus nostris, varioque colore,
alba ferunt nec non et vina rubentia secum,
non uvis expressa, tamen gratissima vina
fructibus innumeris facta et pluvialibus undis.
Sunt albi indigenae, mites placidique, nec ullum
ipsorum hospitio nec litore cominus arcent.
Inguina gossipio velant, ac cetera nudi.
Qui vero missi fuerant exquirere montes
vicinosque sinus, redierunt ad cava laeti
litora, baccarumque simul candentia serta
portarunt, vinique cados, fructusque recentes.
His trahere haud sivere diu me tempus in oris
undis corruptae fruges, sed linquere visum est
has terras, iterum invisuro vere sequenti.
Has Manacapanam indigenae, ditemque Cubanam,
Curianamque vocant felices ubere campos.
Et vetuere aurarum animae, pelagusque vadosum,
praecipitesque maris cursus, nam turbine magno
ipsa movebatur huc illuc regia puppis.
Syrtibus his tandem et brevibus dubiisque periclis
emersi classe incolumi, vada praetervectus
saxea. Dehinc tenui jam lasso remige tractus
ingentis Pariae, credens hanc esse marinis
fluctibus incinctam et metuens, dum vela per oras
occasus tendo credens me posse tenere
litora Quiqueiae, classis devenit in altum
et rapidum flumen, cui cedat turbidus Ister
et Nilus, quamvis magno comitatus aquarum
agmine septenis campos maris intret apertos
fluminibus. Paulo ulterius mox maestus ad ipsum
occasum solis verrebam caerula classe,
queis passim (nam vera loquor) viret herba profundo
remigiis invisa : rates fluitantia ponto
semina tardabant virides imitantia baccas
lentisci, laetaeque maris sub fluctibus herbae.

Sed cum me in vastoque sinu ignotisque viderem
herbis implicitum, verto mea vela retrorsum
ad Boream, fluctusque seco Quiqueia versus
litora, quae tandem jam nota per aequora vecti
prendimus, optatasque diu devenimus oras,
cum gravis autumnus fructus ostenderet altis
arboribus, summisque in collibus uva ruberet.
Pauca super celebri dicam, Perenotte, Quiqueia,
has inter fama quae non est ultima terras.
Castaneae similis folio est haec insula vasto
cincta mari, circum in numerum quam mille coronant
portusque, et liquidi fontes, et stagna, lacusque.
Haec gens natura est facilis, nam poplite flexo
ipse salutabam quoties de more Parentem
Unigenae Christi, genua inflectebat et altam
ad caeli sua tunc vertebat lumina sedem.
Haec minor Hesperia paulo est, quam quattuor inter
flumina lata fluunt, quae delabuntur ab altis
montibus in medio positis, quibus insula surgit.
Junna petit nitidi resonans ingentia solis
lumina et Eoum litus, Jacheque secundus
volvit in Oceanum cursus, qua perfurit Auster.
Tertius incurvo decurrit Naiba cornu
horrificum versus Boream, gelidosque Triones,
quartus Atibunicus tendit qua lucida solis
lampas ad Oceanum vergit, rutiloque recedens
lumine sideribus terram, noctemque relinquit.
Quattuor haec numquam robustus flumina fossor
aggeribus (fama est) cingit, vel caespite vallat :
attonitus sata laeta videt non vecta per agros
undantes, non tecta natant, non flumen abundans
involvit homines undis, aut hordea fossis.
Deducuntque rates remis, sed palmula nostris
longe est dissimilis, mage lataque, et aequore lembum
brachia lenta trahunt, dehinc retro brachia ducunt,
namque carent scalmis, ubi possint ponere remos.
Quiqueiae in cunctis fodiunt regionibus aurum,
Cibavo tamen in tractu, magnaque Cubana
est facile, illud enim non sese abscondit in altis
visceribus terrae, at primo se ostentat ab ictu
cuspidis incurvae, dum terram scindit agrestis.
Saepe etiam effossis fluviorum quaeritur alveis,
qua rutilant undae, sed cum cadit humidus alto
humor et undanti tellurem verberat imbre,
tunc mixtos auro latices vaga flumina ducunt,
et parvus labor est ipsis, nam caerula subter,
atque lacus, fluviosque natant, nec flatibus Austri
terrentur, subita nec tempestate recedunt.
Pars implet cumulo vannum fluvialis arenae,
quem manibus geminis quatiunt : illa acta sub auras
effulgens flavis aurum secludit arenis.
Non baccis, gemmisque carent haec flumina, et omnis
Quiqueiae sinus, atque eadem sunt monte Cibavo.
Auri terra ferax parva in dicione Cotoi est,
qua si quis tofum frangat, vel saxa cavernis
inclusa, apparent auri vestigia fulvi,
et venae elucent effossis rupibus auri.
Jamiroae flumen qua tangit litora fons est,

qui subter mare se condit et rursus ad auras
occulto rediens saxoso erumpit hiatu :
indicio est immissus aquis ex subere cortex
aridus, aut folia autumni labentia ramis,
quae collapsa fluunt una cum fonte sub antris
Oceani, latebrisque cavis, et vecta superne
illo eodem ostentat vasto se rupis hiatu.
Haec tellus est cincta mari, densisque cavernis.
Piscator colit hos scopulos, atque aequora tantum,
lintribus exiguis, quae sunt sat proxima, nam sex
milia Quiqueiae distant a litore magnae.
Effodiunt hac electri regione metallum,
quod grave, quod solidum atque sonans, fulvoque colore est.
Succinaque his etiam nascuntur montibus, ipsisque
e specubus stillat flavus color, egregiusque,
acceptusque ideo, et gratus pictoribus ; illis
nascitur atque frutex silvis, qui grana coloris
producit rubri tingendis vestibus apta :
scriptores fruticem hunc coccum dixere Pelasgi.
Dulcis aquae salsaeque lacus sunt montibus illis,
planitieque alii in lata, quos verberat amplis
retibus et funda : pisces, praedamque reducit
ad ripam piscator. Ego hunc fallacibus hamis
edocui errantes per stagna liquentia pisces
fallere, et intextis illos includere nassis,
conficere atque hamos docui, et detexere nassam,
nam capere hac nostra non norat arundine praedam,
hic nassae non usus erat, non tortilis hami.
Vere novo viret herba comis graveolentibus, et cum
ingruit aestatis fervor, nec tempore defit
autumni, aut cum saevit hiems, cui Bagua nomen,
exiguum nec dant illis sua flumina lucrum,
stagna, lacusque ; legit piscator callidus herbam hanc
atque minutatim tundit, spargitque per undas,
queis mixta attonitos pisces facit, hosque vagantes
atque supinatos in aqua, non retibus illi,
sed manibus vivos captant : mos hic quoque nostris
in fluviis servatur adhuc cum fenore multo.
Otia amant nemorumque leves cum cantibus umbras,
lususque, et choreas nitidi prope fontis ad undas.
Non opus est illis bis tinctas murice laenas
induere atque vias auro, quas femina Coa
disposuit : vivunt nudi. Et mollissima semper
illic temperies ridet, nemora ardua longe
frondent et mites pendent ex arbore fetus.
Hic genus aucupii (visu mirabile) dicam,
quo lacubus captant volucres, undaque palustri.
Namque lacus circum volitat immensa volucrum
copia, diversis magnam quae piscibus explent
ingluviem atque herba viridi, quae plurima fundo est.
Hic mergi stagna ipsa colunt, corvique vagantes,
humidaque herbosis detondent prata sub undis.
Hic olor albus, anas, variae fulicae, hic caput anser
ostentans rutilum stagnis, cui corpore toto
candor inest, niveo montana ligustra colore,
intactasque nives superans, floremque Hyacinthi.
Nascitur intra hortos sepemque cucurbita ventre
immenso, cui parva parens est arbor Hibura :

protinus hanc assuetus aquis saxo cavat auceps
et siccat sub sole, lacusque et stagna per alta,
perque undas late spargit ; huc fluctuat atque huc
illa lacu, qua considit genus omne volantum
stagna colens, liquidosque lacus, crassasque paludes.
Accedit mox ad ripam, et nigrantia colla,
et caput, et latos humeros includit inani
cortice, dehinc terebrat, qua spirat anhelitus et qua
cernere pascentes possit per stagna volucres.
Artibus his fretus summo tenus ore liquores
ingreditur, volucrumque petit densum agmen et una
per stagna incedit tacitus, centumque vagatur
alitibus permixtus, avesque intercipit arte
incautas, captatque dolis : nam dum caput undis
demittit volucris, rimatur et humida rostro
stagna, cibos passim non alto in gurgite quaerens,
dextraque laevaque caput mersum implicat auceps,
frangit et actutum guttur, praedamque reponit
exstinctam laevo lateri, qua mantica pendet.
Perque pedes etiam dextra furtim capit auceps,
dum laetae strepitant in aquis et roribus alas
perfundunt, alisque vocant bipatentibus imbrem,
quo plausu percussa sonat mota unda, sequentes
nec sociae terrentur aves, fugiuntve, sed illam
sponte putant demersam undis, solamque vagari
per laticem et solitas lymphis stagnantibus escas
quaerere, vel subter nando percurrere ripas.
Plurima nam fluitans per stagna cucurbita tutas
reddit ab insidiis anates, aliasque volucres ;
saepe sedet capiti volucris, quae non timet ullas
tunc fraudes, lacubusque volat, revolatque, iterumque
aucupis insidit capiti : dumque ille sub undis
spectat aves, canit illa, sonosque e gutture rauco
effundit, petit aut latices plaudentibus alis,
corneaque ora lacu volitans facto agmine mergit,
aucupis et dextra patriis occumbit in undis.
Atque alius tereti calamo confisus et arcu
alituum genus omne ferit per stagna sagittis,
et si forte cadit mediis moritura sub undis
ardea, stagna secat celerans, praedamque reportat.
Hunc auceps morem semper non servat eumdem,
cum volucres capit, interdum nam fronde virenti,
qua per stagna canunt volucres, collumque caputque
implicat, ingrediturque silens tenus ore lacunam,
non longe a ripa liquidis stans rectus in undis,
qua laetae strepitant volucres, luduntve, cibumve
rimantur, pelagique parant trans aequore cursum,
ut nostrae faciunt volucres, cum litora linquunt,
turmatimque petunt tepidos facto agmine soles.
Ut vero truncum arboreum, ramosque virentes
et foliis baccisque graves videre volucres
in mediis stantes undis, necis inscia turba
advolitant, ramisque sedent fallacibus, illicque
exercent solitos cantus, alacresque vagantur,
et tamquam tutae revolant ad frondea tecta,
et pedicas fraudesque petunt, pariterque morantur
frondibus, ignarae falsis se fidere ramis.
Callidus ast auceps sensim rostrumve, pedemve,

arripit incautis avibus, captisque repente
claudit iter vocis laeva dextraque premendo,
terreat ut nec aves strepitu, neu sanguine lympham
inficiat, lateri annectit, qua mantica pendet.
Hic praeceps it salsus aquas de montibus altis
Babua, qui liquidos diverso a fonte liquores
colligit, et terram Maguanam interluit undis.
Non alit hic ullos, ut cetera flumina, pisces,
undanti nec prata suo rigat aut sata cursu,
auriferas salsum hoc non torquet flumen arenas.
Accipit hunc terra alma sinu, conditque latebris,
nec ponti contingit aquas, nec cornua mergit
Oceano, aut illum gremio maris accipit unda.
Planities hic magna tacet, campique patentes,
quos circum montes excelso vertice cingunt :
commoda frumentis haec sunt et vitibus arva,
et pecori haud ingrata seges, nam gramina miris
in vacuum se laeta modis de caespite tollunt,
quae non laedit hiems spirantibus aspera Cauris,
non nix alta tegit, bruma aut glacialis adurit.
Non procul innumeri sunt hic per pascua fontes,
quorum sunt latices alto sub gurgite salsi,
fontis at in medio tristis se effundit amaror,
at qua fons summas ostendit lucidus undas,
dulcis aquae sapor est gratusque bibentibus humor.
Sunt populi agrestes Zavanae, qui loca celsis
montibus alta colunt et sese nocte cavernis
occultant, saxique ineunt sub fornice somnos.
Rura, domosque nihil curant, aut atria, sed quas
vallibus in patriis rupes natura cavavit,
et fructus, quos sponte tulit silva ardua, carpunt,
et liquidos semper fontes aut flumina potant ;
arvaque non curant, alias nec quaerere sedes.
Haec gens finitimos spernit, carpitque quietem
aut silvis, aut valle cava, vel montis in antro.
Postquam Vesper adest, noctisque supervenit umbra,
illic errat Amor, sed non nova cura quietem
sollicitat, non bella movet, non cogit amantes
ad letum informe, aut ferro per pectus adacto
oppetere, aut cum porta tonat resonantis Olympi
turbatos penetrare sinus veniente procella.
Hic Amor est semper simplex et semper inermis,
gaudia nec miscet curis ; hic nullus amanti
invidet, aut aliquam simulans spe ludit inani.
Humano hos cuncti dicunt sermone carere.
Veloces mage sunt aliis, qui lata Quiqueiae
regna colunt, campoque canis Spartanus aperto,
aut silva in longa cursu non vinceret illos.
Et si forte aliquis montano in vertice cernit
hanc gentem, tunc terga fugae palantia nudat
et nulli nisi nota feris petit antra per umbras.
Tempore non ullo gens haec mansuescit, et omnes
conspectum fugiunt hominum, et commercia rerum.
Sal quoque lucidior vitro est Diagonis in altis
montibus, hunc scindunt cuneis, nec copia parva est.
Hic sunt aequales parvo discrimine soles,
sive hiemem, sive aestatem sol ducit ab alto
aethere, et haec causa est, cur numquam prata recentes

amittunt flores, aut arbos frondis honores.
Planities magna hic late est, quam perpetuus fons
atque alii humectant, qui numquam frigore torpent,
aut acri sub sole calent ; nec pascua flores,
aut folia amittunt, aret nec caltha sub ortu
Icarii canis, aut silvae spoliantur honore.
Vere novo folia ipsa cadunt, non frigore primo
autumni, et subito redeunt, veteresque videbis
corticibus ramos solitaque virescere fronde.
Namque comam ponit pratum et se vestit eodem
vere, novosque parit proprio de germine flores.
Nec crepitans grando teneras quatit horrida frondes
silvarum, gelidusve cadens e nubibus imber
aeriis, herbas urunt nec frigora brumae.
Est tractu longo vallis, quam Guarionesus
imperio regit : hic tellus est optima jactis
seminibus, frugumque ferax, et fertilis herbae.
Terrarumque frequens humor non noxius arvis,
noxia et his terris non sunt animalia morsu.
Et silvis non errat aper, non vallibus ursus,
in segetes agit ante diem securus arator,
nec timet ora lupi. Crudus vestigia pero
nulla tegit, qui mortifero defendat ab ictu
aspidis agricolam spinoso in vepre latensis.
Non silvis, stagnisve nocens mala gramina serpens
pascitur, aut volitans armenta exterret asilus,
dum somnos umbris captant, dum pascua carpunt.
Letalis tamen est illis in partibus arbor,
cujus si frondes seu vir, seu femina tangat,
immittunt solo tactu letale venenum
ossibus, et papulae apparent, ceu verbera, toto
corpore ; mox sese torquens (miserabile) vitam
efflat, et ore petit terram, velut arbor ab alto
tacta polo. Sed salsa potest per membra dolorem
infusum, virusque simul, pestemque levare
unda maris, ponti si membra immerserit undis.
Quin etiam illa hominem solo necat arbor odore,
naribus hunc si quis captet : non stipitis hujus
accenso quisquam tecti penetralia trunco
me moneat suffire, manu vel tangere frondes.
Tempore si certo non has accederet oras
aspera Cannibalum gens bello, assuetaque rapto,
et verubus torrere viros, et ponere mensis,
laetior haud ulla hac, non hac felicior ulla
ora foret, populent licet et loca proxima tantum
litoribus, tamen adventus timet insula cuncta
Cannibalum, et sese specubusve, aut vallibus abdit.
Nulla adeo est regio, quae non sit casibus ullis
subdita, sit quamvis gemmis ditissima et auro.
Quam simplex genus hoc hominum fuit accipe : namque
Quiqueiae reges unum vetuere per annum
semina maitii campis jactare colonos,
ob causam hanc solum, quia nos sua regna putabant
esse relicturos ; quo tempore millia multa
illorum periere fame per regna Quiqueiae.
Cum rudis haec bello gens sit, tamen asperat hastas
ossibus atque apicem teli, cum tendit in hostem,
et si forte ineunt belli certamina, semper

fronte ligant geminos Cemes, creduntque juvari
auxilio illorum, dubiaque evadere pugna.
Quid referam, ut laetae vicino in litore gentes
perpetuum certis agitent sub moribus aevum ?
Illic non populi fasces tabularia servant,
illorum non cura animos accendit habendi,
non aurum effossa quisquam tellure recondit ;
non captant regem insidiis, bellove lacessunt.
Litoreis habitant constructa mapalia silvis,
quae pinu palmaque tegunt, tutique vagantur
prata per, agrestesque domos, non extera verrunt
aequora, non merces aliena ad litora portant,
non aurum, non divitias, non urbis honores,
non latos cupiunt fundos, non regia tecta,
non animum informant studiis. Fractosque tubarum
haud trepidi audivere sonos, pax aurea servat
immunes belli gentes ; non crastina curant
tempora, nec servant surgentia cornua lunae.
Morborum subito succis sua corpora curant,
jam correpta gravi morbo, redduntque saluti.
Noxia et his terris non sunt animalia morsu.
Omnia sunt illis communia gentibus, ut sol
et luna est, nec plura petunt, quam cogat egestas.
Castraque nec cingunt muris, nec saepibus hortos,
nec quisquam novit sua praedia : multa supersunt
jugera, queis campis committere semina possent.
Non vendunt, nec emunt, rerum nec pondera norunt,
metiri nec res ullas. Non dividit agros
terminus, aut demens discordia fratribus umquam,
aut consanguineis incessit. Nullaque tangit
hos cura indigenas, animus nec fluctuat ira,
regnandi nisi causa : ferunt namque oppida et urbes
arma inter sese, cum rex sine prole recessit,
nec caeli carpit vitales amplius auras,
ut solii possint vacui dicione potiri.
Rex habet uxores triginta, de quibus una,
quae quondam ante alias fuerat carissima regi,
post obitum illius tumulo se condit eodem,
sponte tamen. Quem gossypio, vittisque jacentem
involvunt, cum supremum comitantur honorem,
et capitis regale decus, vittamque trilicem,
quae pendet cervice, humerosque et pectora velat,
ornatusque ferunt solitos, conduntque sepulchro,
illiusque canunt laudes atque inclyta facta :
haud secus excubitor, nobis qui nuntiat almum
adventare diem, volucres ducitque, regitque
commissas sibi, sic illae. Cum conjuge somnos
nocte simul capiunt atque illum luce sequuntur,
Non etiam inter se oderunt, praecordia livor
non tentat, quamquam una magis sit grata marito.
Hae nudae incedunt omnes, solum inguina velant,
sed mulier non passa virum partusque labores
non experta graves, nulla inguina velat amictu,
collecto in nodum nec crine incedit, at ipsam
cervicem, inque humeros fundit, quem vitta revincit
alba supercilium supra, pressatque corona.
Res rara est illis in partibus optima nautis
qui liquidum per iter pelagi vasta aequora lustrant,

seu cum saevit hiems, seu cum calor ingruit arvis.
Est panis non ingratus : candore ligustra
vincit et exactum longe incorruptus in annum
durat, nec cariem sentit, nec mucidus umquam
redditur, at lymphae tactu mora nulla putrescit ;
viderunt hunc nec nautae, nec saecula prisca.
Est etiam Cubae ac Quiqueiae plurimus oris
corporea haud magnus forma mirabilis ales,
aera quae scindit nocturnum quattuor alis
membrana solida concretis, queis vice pennarum
utitur, illa volat quoties : cui lumina fulgent,
haud aliter quam nocte faces, geminosque sub alis
instar habet stellarum ignes, quotiesque per umbras
tendit iter, duplicem ingeminat (mirabile) lucem,
resque novo per noctem atram fulgore relucent.
Indigenae cuncti, morte adventante, sororis
instituunt natos fundi rerumque suarum
haeredes, quia non credunt ex conjuge natos
esse suos : ideo junctos sibi sanguine linquunt
totius tecti dominos rurisque paterni :
germanae semper natos, uterumque sequuntur,
sed si non superant ; fratres et pignora fratrum
haeredes faciunt. Rex autem, cum venit hora
extrema et mortem propior jam, denique amicos
convocat, et proceres, et quos Quiqueia mores
jampridem tenuit, etiam hos in morte suprema
servat, et haeredem instituit, qui non piger armis
sit sumptis, vel consilio, et depellere possit
finitimas, cum perturbant sua litora gentes.
Namque sibi externam nec rex, nec civis adoptat
progeniem, veluti nostris consuescimus oris.
Luxanus paucis sociis comitatus in altis
invenit silvis primo sub vere racemos
labruscae rutilos, mites, gratoque sapore,
quas auri dives producit terra Cibavi.
Otia amat gens haec, ideo non stringere curat
vere novo ramos hujus tam fertilis uvae,
ast illam alitibus praedamque, ferisque relinquit.
E nemorum ramis, foliis, et vertice pendet
Gossypium ; sua nec velare hi corpora curant,
praesertim spirat cum bruma in montibus, illic
namque in planitie campi ver floret aprica.
Hic crebraeque cadunt pluviae, sed non fluit amnis
per sata culta suo, vel prata per herbida cursu,
ut solet Eridanus, toto cum turbidus alveo
accipit innumeros amnes quos unda solutis
e nivibus tumefacta altis de montibus auxit.
Hi mare juxta habitant, piscosa aut flumina juxta,
piscandique artem exercent ; saturare ferinis
non cupiunt umquam sese, sed piscibus alvum
distendunt : artem suprema aetate reponunt
piscandi, nec amant silvas, nec concava saxa,
retia gossypio non texunt ordine nostro.
Incola Quiqueiae numquam sua litora linquit.
Denteque tergemino nullum tenet anchora lintrem,
dissimilis tamen est illorum palmula nostris.
Illa habet at remos tantum lembosque volucres,
quos stringunt, solidoque cavant de robore pinus ;

vela haud lembus habet, celsi aut carchesia mali,
octoginta intus nautas vehit arbor, et undas
litoreas, liquidosque lacus, stagna umida tranat.
Non terrae fluit e venis, vel montis ab antro
ferrum informe, cavant patrio sed cymbia saxo,
telluremque simul, solidaque ex arbore lintres.
Hic jucca est napi species, quam fossor ab alta
sublatam tellure cavat, succumque nocentem
subducit pressans manibus : mox frangit, et undis
corruptam miscet calidis, mixtamque revolvit
saepius, inque orbem durat, subterque calentem
occultat cinerem, coctamque reponit in usus
praesentis victus. Sed si (mirabile) succo
vescatur juccae quisquam, letale venenum est ;
haustus enim labefacta petit praecordia succus,
membraque nigrescunt infuso laesa veneno.
Ostia transversum cannas posuere, putantes
se tutos fore ab ingressu, bellique tumultu
securos, tanta est illis inscitia rerum.
Nascitur his campis hortisque cucurbita ventre
non parvo, similisque ulmo, quam gignit Hibura
arbor pro fructu ; solum hunc utuntur in usum
indigenae, ut possint haurire e fontibus undas :
succum habet haec intus, qui felle est acrior omni,
quare ea gens tristi illius sese abstinet usu,
duritiem testudineam quae cortice vincit,
quae fluvii non ima petit, nec mergitur umquam,
sed levitate sua liquidis haec : innatat undis.
Et non est illis barbam tondere, caputque
femina gossypio tenui, vittaque coercet
caesariem in nodi faciem, nec flamina curat.
Scribere non norunt, sed belli ingentia facta
et solitos mores populi, divisaque regna,
natisque et consanguineis stirpique futurae,
atque juventuti tradunt miro ordine rerum
res gestas, Cemesque suos ab origine pandunt.
Vana superstitio terras oppresserat olim
Quiqueiae et quae vicino circumdata ponto,
donec lucem illis immisit caelicolum Rex,
qua tandem agnovere Deum rerumque Parentem.
Quin etiam indigenae cuncti sub tempore certo
palmarum carpunt fructus et roscida poma,
Teutonicoque coquunt ritu, testisque reponunt
fictilibus : dulcis liquor est, gratusque palato.
Sunt pingues magis et procero corpore tauri,
et simul omne pecus, quod transportavimus illuc,
quam tauri et pecudes, quae nostris saltibus errant.
Quam nostris illic etiam felicius arvis
herbaeque, linique seges, vescumque legumen
proveniunt, et majores fert campus aristas,
campus aquis semper riguis, cum deficit humor
atque aestu solis magno terra ipsa dehiscit.
Huc vites olim attulimus, quae (credite) nunc sunt
conjugibus similes ulmis, et pampinus umbra
exigua tabulata tegit, ramosque superstat,
queis palmes Methymnaeus, queis Baetica cedat
vitis et increscit quae collibus uva Falernis.
Terra ferax adeo filicum est, ut culmus in arvis

illic proveniens sit major arundine nostra.
Inclita tale solum tercentum exercet aratris,
et praeclara viris et sanguine Brixia, tales
vomere scindit agros felix Insubria frugum,
et frugum pariter felix Sicana tellus.
Maitium speciem frumenti rusticus arvis
seminat, et nostro spica, culmoque virenti
majus arundineis foliis : verum ingruit aestas
torrida cum passim gravidis flavescit aristis,
tunc sese arenti paulatim nudat amictu
atque suas ostentat opes, et nuntiat ipsis
agricolis venisse diem, finemque laborum.
Noctis aves nec habent silvis domibusque rapaces
quae laniant rostro volucres, sed nocte soporem
securae capiunt, prima vel luce diei,
aurea cum terris Aurora nitescere coepit,
et laetae inter se silvis strepitantque canuntque,
nec metuunt certo viscatas ordine virgas
arboribus positas, nec noctua decipit illas.
Fabula vulgata est cunctis et credita terris
Quiqueiae, primum geminas habitasse cavernas
ingentes mortale genus, hominesque vetabat
exire e specubus geminis indignatus Sol ;
ast Machoel, antri custos, cum noscere vellet
atque videre situs telluris, et aequora, si qua
stent circum spectat, dum flumina concita, et aequor,
et caeli noctisque decus miratur, et alta
tot nemora, et valles curvas, atque herbida prata,
confusus mentis sensus errabat, et una
oblitus calles, nec non divortia silvae,
vidit ubi errantem lucis Sol percitus ira
in saxum Machoel subito convertit, et omnes
certatim indigenae montem hunc de more quotannis
invisunt. Alii ex antris exire volentes
ut nuper Machoel fecit, sensere repente
se verti in pictas volucres, aliique virentes
in prunos, alii deformi corpore turpes
in ranas sunt conversi, quae nocte querelas
ingeminant, et luce silent, donec properans Sol
tendat ad occasum : tunc limo ulvaque palustri
attollunt caput et laetanti gutture raucas
diffundunt voces, securae Solis ab ortu.
Quiqueiae postquam dominari coepimus oris,
legitimo mulier quamquam esset juncta marito,
assueto tamen hi non concubitu indulgebant
amplius, atque illic virgo jam nubilis ullos
non curabat item solito partu edere natos,
ne grave servitium ferrent, et si qua latenter
mixta viro fuerat, subito sua pignora in auras
aethereas ventura herbis, succoque necabat ;
et (mirum dictu) cum sit gens dedita luxu
pronaque nequitiae multum, tamen illa sorori,
et natae, matrique etiam non se immiscebat :
esse nefas immo magnum de more putabat.
Quin aliquis vitam exosus sese interimebat.
Auribus indigenae, nec non et naribus aurum
suspendunt, agitata movet se bractea, naresque
atque aures crepitat circum testudinis instar.

Spicula arundineo faciunt de stipite, quae sunt
duritie indomita, nec taurea tegmina curant.
Quanta superstitio populis sit, regna Quiqueiae
qui diversa colunt, paucis (advertite) dicam,
illorum quae longe animos oppresserat et sic
ducebant miseri vitam sine numine vero :
haud secus, ac puppis, valido quae fertur ab Austro
per maris Ionios fluctus, perque alta Charibdis,
nec sit qui clavum regat, obliquetque triremem,
ingenti cum immane furens Notus urgeat unda
in Syrtes, scopulosque rates, pelagique procellas.
Aerii specus est radices montis ad imas
Javana, quam populi indigenae gentesque frequentant
externae, summoque locum venerantur honore.
Ante fores stabant Cemium simulacra duorum,
quos Patris aeterni gens illa ignara colebat
olim ; pro Sole, ac Luna haec coluisse ferebant,
atque cavis ambos quondam exiluisse cavernis,
et caeli secuisse vias, vectosque per altum
aethera luminibus caelum, terramque vicissim,
et pontum lustrasse suis, propriosque colores
cunctarum rerum diffusa luce per orbem
detexisse ferunt Ophyrae lata arva colentes.
Per noctem volitare animas post funera credunt.
A pelago procul horrisono praecelsa Cibavi
saxeaque est moles, nec non et concava ab alto
vertice, ubi longe strepitus auditur aequorum
diversa de parte ruens, quod si quis ad ipsos
accedat sonitus lympharum cominus, ille
nec longum tempus surdusque fit, attonitusque.
Non longe lacus hinc ingens, cui tristior unda,
quique habet Oceani sua per stagna alta natantes
diversos populos, quorum non copia parva est ;
namque per exesam rupem influit unda patentis
Oceani, occultasque vias agit illa profundum
sub mare, et adducit secum per concava saxa
perviaque humentem praedam ; perque hoc mare parvum
indigenae vidisse ferunt sub tempore veris,
tempore et autumni tantum longo ordine pisces
et nova monstra maris sulcare et ludere in undis.
Hi se scire putant ortum maris atque fluentum
fluviorum, vivosque lacus, tardasque paludes.
Aequoribus est his etiam Bouca insula parva,
nobilis est quae fontis aqua, mitique locorum
temperie, cujus si quis de fonte liquores
hauserit ante diem, subito fugit aegra senectus
atque novum veluti in florem conversa virescit,
integer et sanguis venis fluit : haud secus anguis
exuit hiberno squallentem frigore vestem
et spirans tollit per prata recentia cristas
sanguineas, per humumque humeris jam lucidus orbes
immensos trahit et teneris exsultat in herbis.
Mens erat hunc mihi certa locum fontemque videre,
illius et latices haurire, et membra salubri
tingere lympha, aevo ut longo multoque labore
jam lapsum florem aetatis nunc rursus habere
hac possem, meque ut morbo turpique podagra
eriperem, quae me seu sol jam dimovet oris

aethereis nigrantem umbram, seu candida secum
Luna vehit caelo radiantia sidera, torquet.
Non potui has ratibus sedes accedere, namque
distabat longo felix haec insula cursu,
et Boreae flatu horrisono maris unda tumebat,
et passim undosum spumis incanuit aequor,
vinitor et mites arvis jam legerat uvas.
Quid meus Haiti germanus fecerit oris,
vel quas condiderit illis in partibus urbes,
et bello indigenas toties petiisse phalanges,
vicerit et varias acies, et Guarionexium,
constituit populis dum vectigalia, et hostem
depulerit, cum longo egeant sermone, silebo.
Hispanos et quae fuerit discordia quondam,
quos mecum Oceani non nota per aequora vexi,
meque inter, cum nota satis sint cuncta, tacebo.
Ipse etiam inventis a me nova nomina terris
imposui, sive urbs esset, sive insula, sive arx,
Granvellane, tamen nostrorum meta laborum
haec fuit : in vinclis una cum fratre per undas
ducor ad Hesperium litus, sed post ubi Rex et
Regina hoc norunt, solvere, aegreque nefandum
hoc scelus humana moti pietate tulerunt.
Hanc partem nostrorum etiam, Perenotte, laborum
extremam paucis memorabo, praecipitet cum
jam caelo nox et fessis mortalibus astra
dulces invitant somnos, animoque quietem.
Nam rex Fernandus conjuxque Isabella duos me
post annos quamvis confectum aetate senecta,
atque aegrum ob varios casus, fratremque vocarunt,
ut vellem Quiqueiam ultra, versusque cadentem
tendere iter solem, nostrisque intacta carinis
aequora, et Oceani tractus : tunc sponte dedit Rex
quattuor instructas armis et milite puppes.

## DE NAVIGATIONE CHRISTOPH. COLUMBI LIBER QUARTUS.

N_4 Ver erat et tepidos ducebant sidera soles,
frondibus atque novis sese viridique colore
vestibant nemora, et tellus laetata recentem
ob partum gremio terrestria sidera alebat ;
mira exercebant volucres dulcedine cantus,
desuetos ob longam hiemem et mala frigora brumae,
et Zephyri nautas intendere vela vocabant,
cum liqui Hispanos portus, atque aethera flexo
poplite prospiciens lacrimis ita fabar obortis :
"Ipse tuum ob nomen rege nos, Pater alme, tuoque
nos tege nunc clypeo et subitis defende periclis,
et serva has puppes, tibi qui confidimus, in te
qui spem nostram omnem mentemque locamus, et unum

te colimus, cum sol collustrat lampade terras
et cum nox piceo terras involvit amictu,
qui quondam Oceani duce te penetravimus amnes."
Canarias placido ventorum flamine vectus
deveni, dehinc accessi qua se insula tollit,
quae patria est Caribum, deserta, ast gramine laeto
et plena arboribus, per caelum luna priusquam
clara revertentes in sese colligat ignes.
Quiqueiae paucosque dies noctesque moratus,
Jamaicamque hinc digressus, Cubamque reliqui
a dextra, et vela extendens, qua Zephyrus flat,
litus ad appulimus Guanassae, quo mare vidi
indigenas tortis devinctos funibus armos
Gossypio lembos prope litora curva trahentes
horriferum versus Boream, ceu nauta carinas
Medoaci ad ripas adverso flumine pronus
longo fune trahit. Sed postquam turba trahentum
hos lintres, nostros jam litora curva tenere
atque sequi ratibus longe vestigia cernit,
signa dedere manu, ne quisquam accederet alnos,
et clamore novo litus flumenque replebant,
et pauci, nudique minis terrere putabant
se posse armatos pedites, classemque sequentem.
Non ferre hos tantos potuit gens Baetica fastus,
sed subito audaces hos invasere, nec ullus
evasit, quisquam potuit non se dare jactu
Oceano, non se manibus subducere nostris.
Rector erat rerum variis mercator in oris :
fictilia hic latis operosaque pocula transtris
et pateras, et crateras, lancesque ferebat,
multaque baccarum serta, et canentia puri
vellera gossypii rebus mutaverat illa
externis, et femineas ; ante omnia merces.
Cymbia multa aderant fulvo pellucida saxo
facta, cadique etiam, atque novacla multa, securesque
atque eodem factos portabant marmore cultros,
quorum erat e ligno capulus nigro atque recurvo.
Stragula gossypii vario discreta colore
implebant proras obscuraque transtra, forosque.
Rerum autem partem domino tunc reddere jussi,
et manibus, pedibusque tenacia solvere vincla.
Sunt gentes illic solitae connectere pennas
corporibus volucrum avulsas, atque arte magistra
e molli pluma diversas pingere vestes.
Ultra progredior paulum, Quiriquetana nobis
sese offert ingens regio, fecundaque campi
ubere : maitium creat haec, agiesque, yuccasque.
Flumina sunt, quae prata rigant, semperque videtur
illic ver nitidum tepidos effundere soles.
Pascua habent semper nova gramina, prata recentes
semper alunt flores, interque salubria valles
flumina decurrunt gregibus accommoda nostris,
armentisque etiam frutices nemora alta ministrant ;
semper et autumnus variis se fetibus auget,
spirat et assidue Zephyri levis aura per agros.
Arboreis latis foliis hi membra tegebant.
Hanc laeti petimus terram et descendimus omnes,
et viridi facimus diversa umbracula pinu,

et juxta ponti tentoria tendimus undam,
et tabulis structum velamus fronde sacellum,
ornamusque rates, pictisque tapetibus aram.
Sacra sacerdotes nostri faciuntque, canuntque
ante aram, solvuntque Deo sua debita vota,
dehinc referunt nautae submisso poplite grates.
Dum vero haec peragunt, ingens concursus ad undam
indigenum pelagi non una parte fluebat,
nostrasque intenti posita formidine puppes
spectabant, quos et regio fert illa, ferebant
diversos terrae fructus, lymphasque recentes,
servabat tumido quas ventre cucurbita clausas,
submissique accedebant, dum munera nobis
sponte dabant. Illos nos magno ad litora plausu
excipimus, vitreisque oneramus pectora sertis,
et colla illorum : donamus tympana, acusque,
et cultros, capuli quibus ex ebore argentoque,
et specula attuleram varias referentia formas,
et veros vultus nitido splendentia vitro,
atque specilla, quibus procul et prope cuncta videre
grandaevi possent homines ; super omnia grata
dona fuere magis senibus, qui mentem animumque
expleri haud poterant, cum res inopina nimisque
mira videretur, quoties nam naribus illa
ponebant, tunc hi mage lucida cuncta videbant.
Haec gens candenti tantum tegit inguina tela
Gossypii, vittave levi, quae picta colore est.
Haec vario quodam pomorum corpora succo
ornatus causa tingunt, quae protulit hortis
arbor in irriguis, quam gens hos nutrit in usus.
Ast alii nigro faciem, rubrove colore
inficiunt florum, pluma aut textere volantum.
Sunt montes illic humiles, semperque repleti
fetibus arboreis. Tellus, quae spectat ad Arctos,
silvarum plena est, ilex se tollit ad auras,
arduaque in vacuum extendit sua brachia pinus,
palmaque ; quas silvas tigris saevissima servat,
et damae, cervique leves, vastique leones,
qui numquam hos virides saltus, lucosque relinquunt ;
haec gens venatu invigilat, terretque virentes
per silvas cursu cervos, capreasque fugaces,
quisque suas habitat sedes, agrosque frequentat.
Atque comas inter, frondosaque brachia supra
altorum vitis nemorum quoque serpit agrestis,
et quamvis nullus ferro vel falce putator
strinxisset, cum terra suo laetissima partu
fundit opes, tamen haec rutilis curvata racemis,
pampineisque ornata comis, et grata virebat :
hi vites ideo non curant ponere campis.
Et palma faciunt hastilia, tela, sagittasque
ingenti, quae non aliter quam spicula duro
ferro armata hominum bellantum corpora jactu
transfigunt, sternuntque solo ; facit ex quoque palma
vulnificos enses gens haec, contosque trabesque.
Illic gossypium silvis et collibus album
nascitur et plano. Sunt silvae pruna ferentes,
innumeri et fructus ibi sunt, gratique palato.
Diversas regio felix fert illa volucres,

quae silvas, et stagna colunt, fluviosque lacusque.
Est turba haec avium non uno picta colore,
inter quas ales magna est, ceu femina pavo,
et membris non inferior : cohors est sua cuique,
quisque domi clausas tenet has, et pascit abunde.
Ipse ego tunc cernens vastum mare currere versus
occasum, haud aliter quam cum nix liquitur altis
montibus, et Lybiae de parte supervenit imber
maximus, et superant altas torrentia ripas
flumina, perque cavas valles, et pascua secum
tecta trahunt impulsa Notis atque imbribus aucta,
vertere decrevi cursus et flectere vela
surgentem versus solem, sed linquere numquam
hoc litus poteram, quo tempore letifer alto
excedit canis Icarius, pariterque calores
aestivi, et plenis se exercet rusticus arvis,
atque coloratas ostentat pampinus uvas.
Ducere navigium conabar ad Ora Draconis,
ad Pariaeque sinus, rebar quos esse propinquos,
namque mare undabat passim, classemque ferebant
ventorum varii flatus, nec condere portu
jactatas poteram commota per aequora puppes.
Hic Quiriquetanae liqui portusque fretumque.
Dum vero longe legerem cava litora in amnem
perveni, qui se non involvebat in aequor
qua primum Oceani tellurem caerula tangunt,
sed nitidus, resonansque, et recto flumine lymphas
in freta lata suas longe pellebat ab ipso
marmore, nomen adhuc servans, cava litora quamvis
deserat et rapido fera dividat aequora cursu.
Hic ubi stans vitreis vacuas in fluctibus urnas
implevi dulci hoc fluvio. Maestusque per altum
errabam, nam pontus erat tunc concitus Austro,
solis ad occasum tendens, inimicaque nautas
unda fatigabat maris occurrentis, et una
incoeptum tardabat iter, et saepe retrorsum
jam fessam impellens agitabat in aequore navem.
Mox classe aerata tria flumina magna tenemus,
quorum adeo testudinibus et piscibus amplis
ostia abundabant, ut vix evolvere in altos
se possent fluctus. Ast horum crassaque et ingens
florentes ripas fluviorum ornabat arundo ;
plurimus hic crocodilus erat ad lumina solis
quorumdam in ripis fluviorum stratus arena.
Vidi his litoribus tercentum navibus aptum
flumen aquae, ad cujus fauces per caerula terrae
quattuor, et plenae arboribus, et gramine multo,
quae poterant servare actas a turbine puppes.
Bis denas legimus sparsas per marmora terras
arboribus quarum pendebant aurea ramis
poma, velut nostris dependent citria in hortis,
atque sequens Pariae hoc litus vidi ipse ibi portum
circuitu magno ingentem, quem maximus amnis
intrabat, mitique unda, nitidaque secabat.
Mox ad Quicuri incolumes devenimus oras,
portus ubi, et statio nautis tutissima, et altis
arboribus circum saeptus scopulisque patebat,
ad quem confluxere viri terna arma tenentes

atque quaterna manu, mites tamen ; illicet illi,
ut pacis signum dedimus, petiere carinas
unanimes nostras merces mutare parati
cum nostris : ultro dedimus queis munera multa,
sed quoniam abnuimus illorum sumere merces
esse dolos veriti, donis abiere relictis.
Sunt forma insignes cuncti, sed femina velat
Gossypio partes velandas, atque capillum
detondent, homines radunt sed fronte fluentem
caesariem, linquuntque comam qua posterior pars
est capitis, vittisque ligant candentibus, hisque
antiquo de more caputque et tempora cingunt.
Ex quibus ipse duos mecum per caerula vexi.
Est illic gens indomita, et qui vulnera bello
accipiunt, magno hunc omnes venerantur honore.
Illic non fluit, aut refluit, maris unda relabens,
aut rediens solitum ad litus, velut aequoris aestus
Brittanni, Morinumve facit : vix nempe recessus,
accessusve potest quis vasti noscere ponti.
Arbor in hac regione viret pulcherrima ad undam
Oceani late contingens marmoris oram,
quae virides semper frondes et brachia servat :
haec ubi se in vacuum ramis et vertice celso
sustulit, in fluctus deflectit prima flagella,
deinde maris stagna alta petit, terraeque cohaeret.
Tunc ramus pelago immissus sic pullulat altum
sub mare, vitis uti propago crescit in arvis :
post ubi radices egit, se tollit ab imo
gurgite, perpetuis et inumbrat frondibus aequor.
Grata avibus semper et ponti gentibus ora,
seu cum sol terras urit, seu cum undique caelum
insonat, et motos volvunt vaga flamina fluctus.
Rarum animal colit has silvas par cercopitheco,
ingenti cauda, et longa, multumque reflexa.
Per silvam hunc venator agit cum callidus altam,
transilit e ramo in ramum, et de vertice pinus
verticem in alterius, ut avis, fallitque sequentem,
venatorque sequens non praedae aspirat opimae.
Hunc postquam vidit miles, percussit acuta
cuspide stridentis teli, qui motus in iras
desiluit subito e ramis, hostemque petivit,
et frendens rabie arma ferox jam nota movebat.
Aspectu torvo at miles, morsuque ferenti
exitium rotat ipse manu non territus ensem,
et ferit. Ille autem haud gemuit percussus acerbo
vulnere, cum vidit rigido truncum ense lacertum.
Hunc tandem graviter spirantem ad litora, nec non
multa reluctantem, miles pertraxit, ibique
prostratus paulum hic prora requiescere coepit.
Staret atrox animi vinclis dum vinctus aenis,
venantes alii magno clamore trahebant
setosum horribilemque suem per crura, pedesque
ad navem captum insidiis astuque palude
litorea, transtrisque locant. Tunc tergore setas
horribiles erexit aper, erexit et hirtas
monstrum informe suas hirsuto in pectore setas.
Cercopithecus aprum aggreditur et saepe revinctum
circumplexa angit cauda, sternitque lacerto

incolumi, validaque manu cava guttura pressit,
Atque animae praeclusit iter : gratissima nautis
militibusque fuit pugna haec. Sed coepta sequamur
ad finem, quae jam properant, Perenotte, supremum.
Servant hi populi siccata cadavera raris
cratibus imposita heroum, pariterque parentum,
involvunt foliis, quae sic jam sicca reservant,
et plebs morte obita, silvis tumulatur in altis.
Hunc portum tandem liqui, velisque rudentes
carbaseis subito immisi : volat incita classis.
Ultra progrediens haec ipsa ad litora vidi
curva sinum, ad cujus fauces sunt quattuor alto
insulae in Oceano positae, quas parva profundi
inter se ingentis paulum discriminat unda.
Circuitu hae portum magno lateque patentem
efficiunt, cinctae arboribus frondentibus omnes,
quaeque suis arbos oneratur fructibus ; omne
floribus et variis fragrat nemus, alta viretque
herba solo, ceu vere solet : ipsa insula dextram
Cerebarum partem portus, laevumque vocavit
Abumeram. Aspexi hic sparsas per caerula terras
innumeras, et pingue solum, fontesque lacusque,
et juxta mare piscosum, caelumque serenum.
Est locus his celebris fama et memoratus in oris ;
illic nam caelum clara sol luce serenat
et vaga luna tenet noctes in luce nitenti,
semper et in teneras gelidus ros decidit herbas,
nec maris hos latices fragor intonat horrifer umquam.
Corpore sunt homines nudi, varioque colore
depicti, quos intextas ex ungue leonum
tigridis aut saevae, patrio de more, coronas
ferre juvat, et serta haud uno facta colore,
queis adeo pendent diversa monilia collo,
effinguntque haec in magnas aquilasve, leonesve.
Inguina gossypii velabat femina vitta.
Egressi hinc tandem, juxta cava litora flumen
venimus, ad cujus ripas gens nuda sedebat,
quae procul ut vidit nostras accedere puppes,
occurrunt cuncti nobis ad litus, et undas
oribus acceptas fluvii gramenque vomebant
nos contra, et magnis clamantes vocibus omnes ;
telaque, spiculaque nostrorum in castra cadebant,
exitiumque minabantur, poenasque necemque.
Indigenae ad litus glomerati cominus hostes
nos ad bella vocant, hastasque, ensesque rotantes
e palma factos, quos non educere oportet
vagina, et tandem ad pugnam se quisque parabat.
Pulsa manu passim reboabant tympana, pontique
hi conchas ore inflabant, quo bellica cantu
agmina bellantumque animos accendere sueta
gens erat. Hic jussi tormenta hos aenea contra
aptare, et tantum tormento immittere vincla
stupea, non lapides, non duri robora ferri.
Ut vero audivere viri strepitumque sonumque
aera per, flammaeque globos volitare per auras,
ipsoque involvi fumo, litusque ratesque
viderunt (nam non cessabat machina coeptus
ingeminare sonos, ignesque efferre sub umbras,

permixtosque metus flammis, ceu fulmina ab alto
missa polo) sese terra stravere, precesque
fundebant positis armis, pacemque petebant
submissi, et nostras sponte accessere carinas,
atque suas merces nostris commercibus ultro
mutarunt, alacresque suos petiere recessus.
Se varie hi populi pingunt, varioque colore :
pars faciem tantum, pars et bello inclita corpus,
pars faciem totam depingit, nudaque membra.
Excurrunt hoc in pelagus satis alta fluenta
magnaque, quae semper auri fulgore coruscant,
atque acies pascunt oculorum, animosque videndo.
Non desunt varii per flumina lucida pisces.
Beragua est fluvius majorque et ditior auro,
in mare qui secum permixtas volvit arenas.
Hunc inter fluvium Hiebram Cerobora gens est,
quae novit lateat patriis ubi montibus aurum,
ob nitidi cursum fluvii terraeque colorem ;
haec certis aurum veteri de more diebus
cum rimatur humum, saxis atque eruit ipsum,
abstinet intera sese choreisque jocisque,
et dapibus non indulget, thalamumque relinquunt
conjugis intactum, et solis lustrantur ab oris
surgentis cum se ostentat, lucemque reducit.
Haec nihil indigenae nisi lumina solis adorant.
Hic gentes nudae incedunt, contraque tegunt se
arboreis pluviam foliis, solisque calores,
quae tellus illic juxta parit aequora passim.
Praeterii Zaboram et Cubigar, duo flumina multum
piscosa et liquidis semper labentia lymphis,
quae permixtum aurum volvunt fluvialibus undis.
Hic vidi terram Vibbae, male fida carinis
quae semper regio est, numquam et viduata procellis,
dumque ego sulcarem jam lasso remige fluctus,
Ioniis similes fluctus, Adriaeque tumenti,
non ego furabar mea lumina fessa labori,
ipsa sed assidue ventis immota tenebam,
conversusque oculos ad sidera lucida dixi :
"Exorabilis alme Pater, mitisque, regensque
regna et Olympiacas sedes, terramque patentem,
et maris immensos tractus, precor, aspice vultu,
quo ventos saevamque hiemem, et freta pulsa serenas,
et tu, per quem tu peperisti hominemque, Deumque
unigenam partu insolito, dum haec marmora lustro
non prius intentata, prius non cognita nautis,
da nobis solitum auxilium Galilaeia Virgo.
Remos puppis et haec tibi vela dicamus aquosas
saepe hiemes perpessa, tuo servata benigno
auxilio superante Noto, superante procella."
Dumque loquor sternunt placidissima flamina fluctus,
proceduntque rates aequatis per mare rostris.
Tandem deveni tranquilla per aequora classe
Xaguaram in terram, magnus dicione regit quam
rex populi ingentis, nec non et fertilis agri.
Indigenae hic rutilo tingunt sua membra colore,
rex nigro tantum sese imbuit ; hic quoque regi
naribus et regni septem primoribus auro
selecto tenuis pendebat lamina, summis

lamina pendebat labrisque genisque : putantque
hoc homini magnum esse decus. Quin fertilis ora
semper habet virides silvas, et mollia semper
gramina, et halantes diversis floribus hortos,
quos numquam cinere immundo, cum bruma recessit,
sed rivis passim saturant, undaque recenti.
Nascitur his etiam silvis mira arbor Hibura,
non culmos laedit rubigo, aut carduus horret
in campis, loliumve infelix nascitur inter
maitii laetum gramen, juccasque virentes.
Cernimus hoc etiam tractu turpes crocodilos,
qui cum diffugiunt rostrum vel in aequore mergunt :
continuo suavem jactant de corpore odorem.
Ut vero nostrae contraria caerula classi,
et quassata simul rapido navalia cursu
aspexi, occasum versus tunc humida carbas
direxi : mora nulla rates declivis agebat
unda maris, pariterque Notus, ceu missa sagitta
aera per Parthi dextra, sic classis amarum
Oceani scindebat iter, fluctusque sonoros,
et longo cursu, et fremitu quassata marino.
Quae fluvium sera sub nocte intravit Hiebrae
in morem stagni placidum : tunc jecimus altam
ad ripam intortos funes, puppesque ligamus
saxosum ad litus. Dehinc misi ad flumina magni
Beraguae vectum lembis prope litora fratrem
armatum multo cum milite, cum vaga pallent
sidera, et infusa rebus jam luce rubescit
Oceanus, qui dum factos ex robore lintres
adverso subigunt fluvio, rex obvius illis
fit, quem non variis trabibus contextus, at una
abiete formatus portabat in aequora lembus ;
illi etenim solida faciunt ex arbore puppem,
quae per lata decem novies fert caerula nautas.
Et regi, et cunctis pingebant membra colore.
Nudaque erat, nec onusta manus jaculisve, sagittisve,
aut gladio ex palma facto ; signisque petebant,
tot nitidis incincta armis, quo tenderet haec gens.
Dum vero inter se signis nutuque loquuntur,
maximus ex regis comitatu accessit ad amnem
et lavit manibus lapidem, propriisque nitentem
imposuit celerans humeris, regemque petivit,
quo sedit rex ipse : putant namque esse nefandum
indignumque loqui, solita nisi sede sederet,
aut alia, regem. Tunc rex concessit ut omnes
lustraret fluvii ripas et viseret oras
litoreas, qui venerunt ad flumen amoenum,
undantemque auri multo splendore Durubam.
Flumen erat cinctum arboribus, ripisque recurvis,
inter radices quarum et cava saxa latebat
aurum ingens, nec erat saxum, radixve sub undis,
quae non immixtas auro servaret arenas.
His volui classem quassatam sistere terris
et nova navigiis intexere robora laxis.
Protinus e prora dejecta est ancora in altum
flumen aquae, qua praedulces sinus accipit undas.
Litus in ignotum pubes Hispana repente
emicat, exploratque locos, beneolentiaque arva.

Bisdeni excurrunt equites nova rura, domosque
inventas referunt, et prata virentia silvis.
Dum vero optabam laetis his condere tecta
litoribus, parvaque domos incingere fossa,
atque arcem aggeribus vallare, et vimine multo,
bellantum ad litus ruit ingens turba, ferensque
tela manu, patriosque enses, et grandia saxa,
atque implens circum magnis clamoribus aequor,
arcem confestim, et tecta imperfecta petivit.
Mox inimicum ignem tabulis immisit et omnes
funditus evertit sedes, fossasque recentes
aequavit, cum nox caelum tenebrosa teneret.
Parte alia bello non aspernanda juventus
corpora nuda tamen, nostras accedere puppes
illorum ad litus vario clamore vetabat.
Jamque sudes et saxa cadunt per inania nostris
puppibus, atque aurae strident, et litus utrumque
barbarico clamore sonat, fluviique marisque.
Ipse et eram populo et regi gratissimus hospes,
incola sed tamquam regni aut moderator habebar
hostis, et eversor rerum, regnique, suum nam
pellere credebat me limine velle tyrannum.
Jam sol exoriens multo cum lumine sese
monstrabat caelo et terris, cum cernimus altis
infusum silvis populum, totoque vagantem
litore, qui postquam nostras consistere puppes
marmore conspexit, jacula intorquebat ad aequor,
vociferansque nemus densum, litusque replebat ;
perque diem et noctem gens haec ad nota cucurrit
litora, tela gerens dextra, laevaque sagittas.
Hic regem mora nulla tenet, cursuque phalangas
collectas in nos totas trahit, et quatit hastam
arboream ante alios, et sese sistit ad undam,
temnens Baetica tela, sagittiferamque cohortem.
Tota erat haud aliter tellus obducta virorum
agminibus, quam cum gravis aestas praeterit, et jam
arboribus ducunt croceum folia ipsa colorem,
labunturque, solumque tegunt herbasque virentes.
Fossa munivi et vallo qua litora puppes
tangebant, nec non tabulis, saeptumque tenerem
quamvis exiguum contra tot millia, parvas
hic tamen edidimus pugnas, paucique fuere
illorum ferro occisi, nam ferrea tantum
fundebant tormenta ignes, fumumque sonumque,
et quamvis essent primo in certamine victi
hi populi, subito tamen imperterrita turba
acrior ad pugnas iterumque iterumque redibat,
et potius pro rege suo patriaque volebant
oppetere ad litus, quam sese cernere victos,
aut procul a patria pulsos jam rege perempto,
et nostras poscunt in proelia saeva cohortes.
Horum animi fervor, virtusque coibat in unum
pellendi vectas longinqua per aequora puppes.
A tergo tutos mare nos reddebat ab hoste,
non aliter quam pastores cum nocte sub ipsa
conveniunt suaque arma ferunt, si turba luporum
terruit imbelles pecudes, et saepta reclusit
vi valida huc illuc agitans armenta pecusque,

diripiensque gregem vacua dominatur in aula.
Has etiam fessus decrevi linquere terras,
quaque brevis cursus et non contrarius esset,
vertere Quiqueiae secura ad litora classem.
Jamaicaeque viam deflexi per freta, ibique
mansi bissenos turbata ob caerula menses ;
ipse ego tum Fliscum Ligurem cum milite misi
et Didacum Mendez praeclaro a sanguine, et armis
insignes ambo, dilectae ad regna Quiqueiae
ut magnae cuncti scirent me moenia Haiti
Jamaicae ratibus lassis, sociisque labore.
Hoc etiam praeter spem nobis accidit, et me
supra alios casus passum terraque marique
turbavit ; nam Franciscus cum milite Porras
et frater secuere viam cava litora versus
Quiqueiae toto cum remige, luce sub ipsa,
et me cum paucis sociis liquere, morabarque
effrenes inter populos, inimicaque regna,
indigenae ut videre duces abiisse, nec ullas
in numerum ut nuper praetexere litora puppes,
amissi et memores regni, rerumque suarum,
decrevere necem nobis inferre, ratesque
urere, et in primis passim subducere victum.
Jamque ratus mortis metam advenisse supremam,
et duci immerito ad vitae sine funere finem,
absumique fame, tanta in discrimina postquam
adductum vidi me me, mea lumina versus
converti Patrem aeternum, supplexque rogavi,
ut me ipsum comitesque malis tantoque periclo
eriperet. Subito juvit me caelicolum Rex.
Defectusque memor lunae fore post breve tempus,
primorum partem jussi plebisque vocari
(nam praesens interpres erat de gente Quiqueiae) ;
convenere omnes, primi plebisque patrumque,
dicebatque unum esse Deum, qui temperat orbem
terrarum, et punire homines pietate carentes :
"Vos istis victum unanimes, uno ore negastis,
Quos nostri cecinere Cemes in regna Quiqueiae
venturos et victuros regna omnia circum
Oceani, quo se occiduas sol vertit ad oras,
vos ideo clarum signum aspicietis ab alto,
portendet quod jam vobis pestemque famemque."
Ut venere omnes subito et videre sequenti
nocte laborantem lunam, sparsamque cruore
subrutilo, nec non consueto lumine cassam,
flebant tunc illi attoniti, maestique petebant
commissi sceleris veniam, fructusque recentes,
maiciumque, jucasque simul, volucresque ferebant.
Interea Mendez rediit, secumque reduxit
remigio instructam puppim, qua per mare vectus
(undosum licet) appulimus cava litora Haiti.
Hic ubi jactatas toties a turbine naves
aptavi curans sociorum corpora victu.
Et tandem Hesperias fessis jam navibus oras
deveni, regemque adii et nova regna novosque
terrarum tractus memoravimus, et freta magni
aequoris : hoc iter est nostrorum haec meta laborum."
Sic Ligur inventos intentis omnibus a se

Oceanique sinus, nostrisque incognita nautis
sidera narrabat, positas et per mare terras,
cum tandem tacuit, mediaque in nocte quievit.
Sim licet (ur perhibent) vates non ultimus inter,
Tibridis et Mellae cantu jam ad flumina notus,
et primus, qui non nostro sub sole jacentes
ante alios cecini Romana per oppida gentes,
Christophorus quas exigua cum classe retexit,
serta tamen myrto aut edera sperare canendo
non ausim : sat erit tantum (nam maximus inter
es mihi mortales, et eris mihi maximus olim,
dum reget hos artus caeli spirabilis aura),
si haec, Perenotte, leges, tibi cum dabit otia magnus
Hesperiae Rex extremae, quo principe terras
justitia, et pietas, virtusque antiqua revisit.

---